S ancte Matthia, ora.

S ancte Barnaba, ora.

S ancte Marce, ora.

S ancte Luca, ora.

Omnes sancti Discipuli Domini, orate.

Omnes sancti Innocentes, orate.

S ancte Stephane, ora.

S ancte Clemens, ora.

S ancte Corneli, ora.

S ancte Cypriane, ora.

S ancte Laurenti, ora.

S ancte Vincenti, ora.

S ancte Dionysi cum Sociis tuis, orate.

S ancte Mauritij cum Sociis tuis, orate.

S ancte Ianuarj cum Sociis tuis, orate.

S ancti Fabiane & Sebastiane, orate.

S ancti Cosma & Damiane, orate.

S ancte Thoma, ora.

S ancte Petre, ora.

Omnes sancti Martyres, orate pro nobis.

S ancte Sylueſter, ora.

S an-

S ancte Gregori, ora.
S ancte Ambroſi, ora.
S ancte Auguſtine, ora.
S ancte Hieronyme, ora.
S ancte Hilari, ora.
S ancte Martine, ora.
S ancte Nicolae, ora.
S ancte Antonine, ora.
S ancte Pater Dominice, ora pro nobis.
S ancte Pater Dominice, ora pro nobis.
S ancte Thoma, ora.
S ancte Vincenti, ora.
S ancte Hyacinthe, ora.
S ancte Raymunde, ora.
S ancte Ludouice, ora.
S ancte Pie, ora.
S ancte Alberte, ora.
S ancte Gundiſalue, ora.
S ancte Antoni, ora.
S ancte Benedicte, ora.
S ancte Bernarde, ora.
S ancte Franciſce, ora.
O mnes ſancti Confeſſores, orate.
S ancta Anna, ora.
S ancta Maria Magdalena, ora.
S ancta Martha, ora.
S ancta Felicitas, ora.
S ancta Perpetua, ora.
S ancta Agatha, ora.
S ancta Lucia, ora.
S ancta Agnes, ora.
S ancta Cæcilia, ora.
S ancta Catharina, ora.
S ancta Roſa. ora.
S ancta Agnes. ora.
S ancta Margarita, ora.
S ancta Vrſula cum ſodalibus tuis, orate.
S ancta Catharina, ora.
S ancta Agnes, ora.
S ancta Margarita, ora.
O mnes ſanctæ Virgines & Viduæ, orate.
O mnes Sancti, orate.



Propitius eſto, parce nobis Domine.

Propitius esto; parce nobis Domine.
Ab damnatione perpetua, libera nos Domine.
Ab subitanea, & improuisa morte, libera.
Ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, libera nos Domine.
Ab infestationibus dæmonum, libera.
Ab omni immunditia mentis, & corporis, libera.
Ab ira, & odio & omni mala voluntate, libera.
Ab immundis cogitationibus, libera.
Ab cæcitate cordis, libera.
Ab fulgure, & tempestate, libera.
Ab pestе, fame, & bello, libera.
Ab omni malo, libera.
Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ, libera.
Per Passionem & Crucem tuam, libera.
Per gloriosam Resurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem Ascensionem tuam, libera.
Per gratiam Spiritus sancti paracliti, libera.
In die iudicij, libera.



Peccatores te rogamus audi nos.
Peccatores, te rogamus audi nos.
Vt pacem nobis dones, te rog.
Vt misericordia, & pietas tua nos custodiat, te rog.
Vt Ecclesiam tuam regere & conseruare digneris, te rogamus audi nos.

t domnum Apoſtolicum,& omnes gradus Eccleſiæ, in ſancta religione conſeruare digneris, te rog.

t Epiſcopos, & Prælatos noſtros, & cunctas congregationes ſibi commiſſas, in tuo ſancto ſeruitio conſeruare digneris. te rog.

t Regibus, & Principibus noſtris pacem, & veram concordiam, atque victoriam donare digneris, te rogamus audi nos.

t cunctum populum Chriſtianum pretioſo ſanguine tuo redemptum conſeruare digneris. te rog.

t omnibus benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas. te rog.

t animas noſtras, & parentum noſtrorum ab æterna damnatione eripias. te rog.

t fructus terræ dare & conſeruare digneris. te rog.

t oculos miſericordiæ tuæ ſuper nos reducere digneris. te rog.

t obſequium ſeruitutis noſtræ rationabile facias. te rogamus audi nos.

t mentes noſtras ad cæleſtia deſideria erigas. te rogamus audi nos.

t miſerias pauperum, & captiuorum intueri, & releuare digneris, te rog.

t loca noſtra & omnes habitantes in eis viſitare & conſolari digneris, te rog.

t ciuitatem iſtam, & omnem populum eius protegere & conſeruare digneris, te rog.

t omnes fideles nauigantes & itinerantes ad portum

ſalutis

Digitized by Google

salutis perducere digneris, te rog.
Vt regularibus disciplinis nos instruere digneris, te rogamus audi nos.
Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam dones, te rog.
Vt nos exaudire digneris, te rog.

Fi li De i, te rogamus au di nos.

Agnus De i, qui tol lis pec ca ta mundi,



par ce no bis Domine. Agnus De i, qui

tol lis pec ca ta mundi ex au di nos Domi-



ne. Agnus De i, qui tol lis pecca ta

Digitized by Google



mundi, mi ſe re re no bis.

Finitis Litaniis dicatur Kyrie eleiſon, &c. Pater noſter. Et ille qui indutus eſt cappa ſerica ſubiungit V. ſequentem, vel alios Verſus, & poſtea orationem de B. Virgine, vel de alio ſancto correſpondentem ad propoſitam proceſſionis.

℣. Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. & ſtatim Dominus vobiſcum. prætermiſſo Oremus. dicat Orationem.

COncede nos famulos tuos, quæſumus Domine, Deus, perpetua mentis & corporis ſalute gaudere, & glorioſa beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

Finita hac Oratione abſque Per Chriſtum Dominum noſtrum, ſubiungat immediatè ſequentem Orationem.

PArce Domine, parce populo tuo, vt dignis flagellationibus caſtigatus, in tua miſeratione reſpiret. Et poſtea ſubiungit orationem ad propoſitum proceſſionis correſpondentem, eam terminando: Per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.

℟. Amen.

Et ea dicta, ad ſacriſtiam cum miniſtris reuertatur.

Si,

Digitized by Google

Si fuerit tribulatio Eccleſiæ, dicatur. Oratio.

ECcleſiæ tuæ, quæſumus Domine; preces placatus admitte, vt deſtructis aduerſitatibus, & erroribus vniuerſis, ſecura tibi ſeruiat libertate. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Si proceſſio fiat pro pace, dicatur hæc Oratio.

DEus, à quo ſancta deſideria, recta conſilia; & iuſta ſunt opera: da ſeruis tuis illam, quam mundus dare non poteſt pacem: vt corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Si Proceſſio fiat pro petenda pluuia, dicatur Oratio.

DEus, in quo viuimus, mouemur, & ſumus, pluuiam nobis tribue congruentem, vt præſentibus ſubſidijs ſufficienter adiuti, ſempiterna fiducialius appetamus. Per Chriſtum, &c. ℟. Amen.

Si fuerit Proceſſio, pro ſerenitate, dicatur Oratio.

AD te nos Domine clamantes exaudi, & aëris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibus: vt qui iuſtè pro peccatis noſtris affligimur, miſericordia tua præueniente, tuam clementiam ſentiamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Si fuerit Proceſſio tempore peſtilentiæ, dicatur Oratio.

DEus, qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum: populum tuum, quæſumus,

Digitized by Google

ad te conuerte propitius, vt dum tibi deuotus existit, iracundiæ tuæ ab eo flagella amoueas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si Processio fuerit contra Paganos, dicatur Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura regnorum: respice in auxilium Christianorum, vt gentes Paganorum, quæ in sua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur. Per Christum, &c.

Si Processio fuerit pro Rege, Duce, vel Principe, dicatur sequens Oratio.

QVæsumus omnipotens Deus, vt famulus tuus N. Rex, (vel Dux, vel Princeps noster), qui tua miseratione suscepit Regni, vel Ducatus, vel Principatus gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus, & vitiorum monstra deuitare, & ad te, qui via, veritas, & vita es, gratiosus valeat peruenire. Per Christum.

IN FESTIS SANCTORVM

Nostri Ordinis ad processionem.

ORATIONES.

Orationem B. Dominici P. N. & aliorum Sanctorum Ordinis Nostri require supra in Cœna Domini ad ablutionem Altarium.

DE OFFICIO FACIENDO

In electione Magistri Ordinis.

COmpleta Missa in conuentu vbi fit electio, & inclusis Electoribus antequam procedant ad elec-

tio-

tionem, dicant flexis genibus, & sine cantu Hymnus: **Veni creator. pag. 252.** cum **Kyrie eleison. & Pater noster. ℣. Emitte spiritum tuum, & creabuntur. Dominus vobiscum.**

Oratio.

DEus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum.

Priore Prouinciale, qui primum locum tenuerit dicente vnum ℣. Hymn. & alijs respondentibus alium.

Facta electione conuocato capitulo, & processu electionis recitato, Cantor incipiat. **Te Deum &c.** quòd fratres deuotè prosequentes vadant ad Chorum. Finito **Te Deum.** Prior Prouincialis antiquior dicat Versum. **Saluum fac. Dominus vobiscum.**

Oremus. Oratio.

COncede quæsumus omnipotens Deus, vt famulum tuum, quem ad regimen animarum eligimus, dono tuæ gratiæ prosequaris, vt te largiente cum ipsa, tibi nostra electione placeamus. Per Christum Dominum nostrum.

OFFICIVM IN ELECTIONE Prouincialis.

COmpleta Missa de Spiritu sancto, factaque inuocatione Spiritus sancti, sicut in electione Magistri dictum est, Electores eligant Prouincialem. Factaque electione, conuocatisque fratribus ad capitulum, & recitato processu

electionis, incipiat Cantor Pſal. **Laudate Dominum omnes gèntes,** in ea voce, qua ei ſolet a **Pretioſa,** & Conuentus proſequatur Pſalmum cum **Gloria Patri.** dextro choro dicente primum Verſum. Quo finito ſine **Kyrie eleiſon.** & ſine **Pater noſter.** Vicarius Prioris Prouincialis ſi non eſt electus, alius Prior conuentualis, vel qui primum locum tenet, dicat ſequendo Verſum. **Confirma hoc Deus. Dominus vobiſcum.** Et Orationem præcipiat, ſilicet. **Concede quæſumus, &c.** Deinde dicat. **Adiutorium noſtrum.** Et ſi conſtituti ſunt, ad Chorum vadant, cantent. **Te Deum.**

DE ELECTIONE PRIORIS Conuentualis.

IN electione Prioris conuentualis ſint imprimis Spiritus ſancti, ſicut ſupra: & facta electione dicatur Pſal. **Laudate Dominum omnes gentes.** Dextro choro dicente primum verſum: deinde **Gloria Patri.** Poſtea qui tenet capitulum, dicat. **Adiutorium noſtrum in nomine Domini.** Verſum & Orationem ſicut in electione Magiſtri Ordinis.

DE OFFICIO FACIENDO In receptione Nouitiorum ad Habitum.

CVm Nouitius incipit induti in capitulo, Cantor incipiat Hymnum.

Veni



Qui Paracletus diceris, Donum Dei altiſſimi, Fons viuus, ignis, charitas, Et ſpiritalis vnctio.

Tu ſeptiformis munere, Dextræ Dei tu digitus, Tu ritè promiſſum Patris, Sermone ditans guttura.

Accende lumen ſenſibus, Infunde amorem cordibus, Infirma noſtri corporis Virtute firmans perpeti.

Hoſtem repellas longius, Pacemque dones protinus: Ductore ſic te præuio, Vitemus omne noxium.

Per te ſciamus da Patrem, Noſcamus atque Filium: Te vtriuſque Spiritum, Credamus omni tempore.

Sit laus, &c.

Et cùm indutus fuerit, egreditur comitatus processionaliter ad ecclesiam, subsequentibus præfato Magistro Nouitiorum vltimo ducente Nouitium vsque ad gradum altaris, ibique faciat eum genuflectere.

Finito Hymno, & dicto Kyrie eleiſon, Pater noſter.

noſter. Dicat qui recipit Nouitium, ℣. Et ne nos, &c. ℣. Emitte ſpiritum tuum & creabuntur. ℣. Saluum fac. Dominus vobiſcum. Oratio, Deus, qui corda fidelium. Oratio. Prætende. Eo modo quo dicitur ad horas diei, & terminetur ſub vna. Per.

De ſancto Spiritu. Oratio.

DEus, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere.

Oratio.

PRætende Domine famulo tuo (vel famulis tuis) dexteram cæleſtis auxilij: vt te toto corde perquirat, & quæ digne poſtulat aſſequatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Finitis orationibus eleuetur Nouitius à Magiſtro eorum, qui interim ſtet prope eum, & ductus ad receptionem, amoto caputio de capite Nouitij aſperguatur, aſpergat cum aqua benedicta cum aſperſorio ſibi à Sacriſta delato, & poſtea recipiat ad oſculum pacis. Et ſimiliter faciant omnes fratres ſequentes in choro ſuo: poſtea alij de alio choro eodem ordine. Et ſi plures ſuerint Nouitij, vadat vnus poſt alium dando pacem: poſtmodum ducatur ad vestiendum.

Si vero recipiendus ſit laicus, poterunt omnia ſupradicta in capitulo compleri ſine cantu, dimiſſa proceſſione, niſi forte propter excellentiam recipiendi Prælato aliquando aliud videatur.

MO-

Professionem.

EGo frater N. facio professionem, & promitto obedientiam Deo, & beatæ Mariæ, & B. Dominico, & tibi Patri Fratri N. Priori, vel Suppriori huius conuentus (N. talis loci) vice Reuerendissimi patris fratris N. Magistri Ordinis Prædicatorum, & successorum eius, secundum regulam beati Augustini, & institutiones fratrum Prædicatorum, quod ero obediens tibi, tuisque successoribus vsque ad mortem.

Qui facit professionem debet stare flexis genibus coram Prælato, iunctis manibus, & alta voce proferre verba. Postea surgat Prælatus, & benedicat scapulare nouum, quod super caput ipsius profitentis debet esse positum dicendo. V. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. R. Dominus vobiscum.

Oremus. Oratio.

DOmine Iesu Christe, qui regimen nostræ mortalitatis induere dignatus es: obsecramus immensæ largitatis tuæ abundantiam, vt hoc genus vestimentorum, quod sancti Patres ad innocentiæ, & humilitatis indicium ferre sanxerunt, ita bene † dicere digneris, vt qui hoc vsus fuerit, te induere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Postmodum aspergatur aqua benedicta. Simili modo profitentur Moniales nostri Ordinis, in lingua tamen vulgari.

DE

DE OFFICIO AD PONENDVM VELVM

Monialibus.

Finita Miſſa (quæ de Spiritu ſancto cantari debet cum oratione ſecunda. Quæſumus Domine. in fine officij poſita. pag. 262. Cantoriſſa dicat ſemel incipiendo Antiphonam, Veni ſponſa Chriſti. & Sacerdos ſuper gradus presbyterij verſo vultu ad Conuentum ſimiliter incipiat eandem Antiphonam, & deinde vadat in medio eccleſiæ, & repetat iterum, Veni ſponſa Chriſti, Si vero crates ſtent prope altare, repetat ſuper gradus pariter presbyterij eandem Antiphonam. Deinde accedat ad cratem, & ſimiliter tertio dicat: Veni ſponſa Chriſti: ſicut prius. Antiphona.



Et conuentus proſequatur: Dum cantatur Antiphona, exeat conuentus proceſſionaliter, præcedentibus

bus ceroferarijs, & Soror, cui debet imponi velum, cum duabus Sororibus prædictis immediate post Acolytas, quæ deferentes cereos accensos, veniant ad altare. Et conuentus stet processionaliter in ecclesia interiori, & ipsa sedeat genua coram altari super aliquo puluinari à Sacrista præparato: quibus genibus flexis, dicat chorus super ipsam Psalmum 44. **Eructauit cor meum.** si fuerit virgo, si non fuerit virgo dicatur, Psalmus 84. **Benedixisti Domine terram.** Finito Psalm. cum **Gloria Patri.** recipiat Sacerdos Antiphonam. **Veni sponsa Christi.** Cantorissa ei deferente, & chorus prosequatur. Finita Antiphona. **Veni sponsa Christi.** Sacerdos dicat hos Versiculos. ℣. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam. ℟. Et obliuiscere populum tuum, & domũ patris tui. ℣. Et concupiscet rex decorem tuum. ℟. Quoniam ipse est Dominus Deus tuus. ℣. Ipse illuminet oculos tuos, ne vmquam obdormias in morte. ℟. Ne quando dicat inimicus meus, prævalui aduersus eam. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DOminus Iesus Christus sit tibi adiutor & protector, atque omnium factorum tuorum adiutor. ℟. Amen. Et Deus pietatis, ac misericordiæ det tibi correctionem peccaminum, & concedat locum pœnitentiæ: tribuat tibi dignè acta mala deflere, gaudia-

diaque vitæ perennis affluenter obtinere. Per Christum Dominum nostrum.

Oratio.

℣. Dominus Iesus Christus apud te sit, vt te defendat. ℟. Amen. Post te sit, vt te custodiat. ℟. Amen. Intra te sit, vt te deducat. ℟. Amen. Super te sit, vt te benedicat. Qui eum Patre, & Spiritu sancto, viuit & regnat. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Alia Oratio.

℣. Benedicat te Deus cæli. ℟. Amen. Adiuuet te Christus Filius Dei. ℟. Amen. Corpus tuum in seruitio suo custodiri & conseruari faciat. ℟. Amen. Sensum tuum custodiat. ℟. Amen. Gratiam suam ad profectum animæ tuæ iustè augeat. ℟. Amen. Ab omni malo te liberet. ℟. Amen. Dextera sua te defendat. ℟. Amen. Qui sanctos suos semper adiuuat, ipse te adiuuare & conuocare dignetur. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oratio.

℣. Benedicat te Deus Pater. ℟. Amen. Sanet te Filius Dei. ℟. Amen. Illuminet te Spiritus sanctus. ℟. Amen. Corpus tuum custodiat. ℟. Amen. Animam tuam saluet. ℟. Amen. Cor tuum irradiet. ℟. Amen. Sensum tuum dirigat, & ad supernam veritatem perducat. Qui in Trinitate perfecta viuit, & regnat. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

BENEDICTIO VELI.

℣. Adiutorium nostrum &c. ℟. Qui fecit cælum &c. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Digitized by Google

O remus.

CAput omnium fidelium Deus, & totius corporis Saluator hoc operimentum velaminis, quòd famula tua propter tuum tuæque beatiſſimæ Genitricis ſemper Virginis Mariæ amorem, ſuo capiti impoſitura eſt; tua dextera bene dic, & hoc, quod per illud myſticè datur intelligi, tua ſemper cuſtodia corpore & animo incontaminato cuſtodiat, vt quando ad perpetuam Sanctorum remunerationem venerit, cum prudentibus, & ipſa Virginibus præparata, (te perducente) ad perpetuæ felicitatis nuptias intrare mereatur. Per Chriſtum &c.

Hic velatur Soror dicendo hanc Orationem.

Oratio.

ACcipe velamen puella, quod perferas ſine macula ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui flectitur omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum in ſæcula ſæculorum. Amen.

Dum velatur Soror, à choro cantetur ſequens.

Antiphona.





to rem admittam.

Deinde Sacerdos dicat Orationem.

BEnedicat te Deus Pater, † qui in principio, cuncta creauit. ℟. Amen. Benedicat te Deus Filius, † qui de ſupernis ſedibus nobis Saluator deſcendit: & Crucem ſubire non recuſauit. ℟. Amen. Benedicat te Spiritus ſanctus, † qui in ſimilitudinem columbæ requieuit in Chriſto. ℟. Amen. Ipſe te in Trinitate ſanctificet, & cuſtodiat omnibus diebus vitæ tuæ, quem venturum expectamus ad iudicium. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

PRopitietur Dominus cunctis infirmitatibus tuis, & ſanet omnes languores tuos: redimat de interitu vitam tuam, & corroboret, ac ſanet in bonis deſiderium tuum. Qui in Trinitate perfecta viuit, &c.

His terminatis, Cantoriſſæ incipiant Reſponſorium.



AMo Chri ſtum in cu ius

thala-

Digitized by Google









Digitized by Google



Et conuentus ipſum proſequatur ex integro cum Verſu, & reſumptione. Dum cantatur, ipſa iacebit proſtrata coram altari ſuper puluinar, & Sorores, quæ cum ea venerunt, ex vtraque parte prope eam, & eleuantes eam flectant genua ſicut prius: tunc Sacerdos dicat. ℣. Saluam fac ancillam tuam. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℣. Mitte ei Domine auxilium de ſancto. ℟. Et de Sion tuere eam. ℣. Dñe exaudi &c.

Oremus. Oratio.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hanc famulam tuam benedicere digneris: cui in ſancto nomine velamen ſanctæ religionis imponimus:

Digitized by Google

mus: vt te largiente illud in die iudicij ante tribunal tuum ſine macula perferat, deſque ei pacem & tranquillitatem in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Oratio.

BEnedictio Dei Patris omnipotentis, † & Filij, † & Spiritus ſancti, † deſcendat & maneat ſuper hanc famulam Dei. ℟. Amen. Dicta benedictione, Cantorilla incipiat ſi fuerit virgo. Antiphonam.



Digitized by Google



ad nup ti as. Al le lu ia.

Dum cantatur Antiphona, Sacerdos cum miniſtris reuertatur ad altare, & nouiter velata cum ſororibus prædictis præcedentibus ceroferarijs, reuertantur ad chorum. Finita Antiphona, & dicto.

℣. Ab occultis meis munda me Domine. ℟. Et ab alienis parce ancillæ tuæ. vel ℣. Offerentur regi virginis poſt eam. ℟. Proximæ eius offerentur tibi in lætitia, & exultatione. Ab ipſis ceroferarijs, vel ab alijs, quibus cantoriſſa iniunxerit, coram altare beatæ Virginis ſtantibus, Sacerdos verſus ad chorum, dicat Orationem. Famulam tuam. vt infra. pag. 262. præmiſſo O remus. ſine D ominus vobiſcum. Et ſic finitur officium veli.

Si autem non fuerit virgo, loco Antiphonæ: Iſta eſt virgo dicantur Antiphonæ ſequentes, cum ℣. Diffuſa eſt. & oratione. Famulam &c.

Antiphona.



P ſi ſum deſponſa ta, cu i An-

ge li ſer ui unt, cu ius pulchritudinem

ſol & luna mi rantur.

Antiphona.



ANu lo ſu o ſub arrha uit me

Do mi nus me us Ie ſus Chriſtus, &

tamquam ſponſam decorauit me co ro na.

Antiphona.

INduit me Dominus cycla de au ro

tex ta, & immenſis moni li bus or nauit me.

Et ſi neceſſe fuerit, repetantur quouſque Sorores collocentur in locis ſuis. ℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit, &c. Acolythæ ſtabunt

Christum ad pectoralem velum ante altare vsque ad finem Missæ. Tunc Sacerdos conuersus ad chorum dicat: ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Oratio.

FAmulam tuam Domine custodia tuæ muniat pietatis: & continentiæ sanctæ propositum, quod te inspirante suscepit, te protegente illæsam custodiat. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Missam, quando celatur Sanctus, secunda oratio erit ista quæ sequitur.

Oratio.

QVæsumus Domine, famulam tuam placabili pietate respice, & cor eius tui amoris igne succende: vt tibi toto corde deuota, à præsentibus liberetur aduersitatibus, & optatis gaudeat prosperitatibus. Per Christum Dominum nostrum.

Oratio secreta.

CAelestem medicinam, quæsumus Domine, præbeant famulæ tuæ hæc mysteria, & vitia cordis eius expurgent. Per Dominum nostrum.

Ad Communio.

ADiuuare Domine famulæ tuæ, vt corpore, & animo, & pijs actionibus intenta, dona tuæ gratiæ consequatur. Per Dominum nostrum.

ORATIONES FACIENDAE

In visitatione infirmorum.

CVm fratres aliquam personam infirmam decumbentem visitauerint, & aliquam orationem super eam facere voluerint: poterunt vti

Digitized by Google

forma infrascripta, videlicet. Primo intrantes domum, vel cameram infirmi, dicant: **Pax huic domui.** ℟. **Et omnibus hâbitantibus in ea.** Et accedentes ad lectulum infirmi, eum dulciter salutent, ad patientiam adhortantes, & aliqua verba spiritualia pro eius exhortatione, & consolatione, proferentes. Et quia infirmitas corporalis frequentius euenit propter infirmitatem spiritualem ideo hortentur eum, vt si citò velit sanari ab infirmitate, etiam si infirmitas non sit valde grauis, integram, & veram confessionem faciat de omnibus peccatis suis. Postmodum alter ex fratribus, qui maior fuerit, & Sacerdos dicat: Charissime, si Dominus tibi præstare dignabitur sanitatem nonne proponis de cetero pro viribus, à peccatis cauere, & eius mandata pro posse seruare? Quo promittente, dicat Sacerdos.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum, & terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

INtroeat, quæsumus Domine Iesu Christe, domum hanc, sub nostræ humilitatis ingressu, æterna felicitas, diuina prosperitas, serena lætitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna. Effugiat ex hoc loco accessus dæmonum, adsint Angeli pacis, domumque hanc deserat effugata discordia. Magnifica Domine super nos nomen sanctum tuum: bene † dic conuersationi nostræ: sanctifica nostræ humiliratis ingressum, qui sanctus,

ctus, & pius es, & permanes cum Patre, & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen. Psalm. 6. Domine ne in furore.

Quo dicto dicat Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum. ℟. Gloria tibi Domine. Dum Sacerdos dicit Sequentia sancti, signum crucis faciat super se in fronte, super os, & super pectus: & similiter super infirmum, maximè si fuerit masculus: si verò fœmina fuerit, (dum Sacerdos se signat,) per semetipsam in locis prædictis se signet: hoc idem in sequentibus Euangelijs obseruetur.

IN illo tempore: Cum introisset Iesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic: Vade, & vadit: & alij, Veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Et dixit Iesus Centu-

rioni:

rioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. Deinde dicat, Oremus.

Oratio.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis, ad inuocationem nominis tui benignus assiste, vt famulum tuum ab ægritudine liberatum, & sanitati donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiæ tuæ sanctæ cum omni desiderata prosperitate restituas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Psalm. 15. Conserua me Domine. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Sequentia sancti Euangelij secundùm Marcum.

℟. Gloria tibi Domine. Cap. 16.

IN illo tempore: Recumbentibus vndecim discipulis apparuit illis Iesus, & exprobrauit incredulitatem illorum, & duritiam cordis; quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixi eis: Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis: serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et Dominus quidem Iesus, postquam locu-

tus

tus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.

Oremus. Oratio.

VIrtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis: adesto propitius huic famulo tuo, vel famulæ tuæ, vt fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen sanctum tuum instaurata protinus sanitate benedicat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Psalmus 19. Exaudiat te Dominus. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Sequentia sancti Euangelij secundùm Lucam.

℟. Gloria tibi Domine. Cap. 4.

IN illo tempore: Surgens Iesus de synagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illum pro ea. Et stans super illam imperauit febri: & dimisit illam. Et continuò surgens, ministrabat illis. Cum autem sol occidisset: omnes, qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.

Oremus. Oratio.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui fragilitatem humanæ conditionis infusa virtutis tuæ dignatione confirmas, vt salutaribus remedijs

medijs corpora nostra, & mentes vegetentur: super hunc famulum tuum propitius intende, vt omni necessitate corporeæ infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecta reparetur. Per Christum.

Psal. 85. Inclina Domine aurem tuam. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Sequentia sancti Euangelij secundùm Ioannem.

℟. Gloria tibi Domine. Cap. 5.

IN illo tempore: Erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. Est autem Ierosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam: & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo, ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille; & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum

est,

est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset: Iesus enim declinauit à turba constituta in loco. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Oratio.

RESpice Domine famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem, & animam refoue, quam creasti: vt castigationibus emendata, continuo se sentiat tua medicina saluatam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Psalm. 90. Qui habitat. Ant. Media vita in morte sumus, quem quærimus adiutorem, nisi te Domine, qui pro peccatis nostris iustè irasceris? Sancte Deus, sancte fortis, sancte & misericors Saluator, amaræ morti ne tradas nos. ℣. Ne proijcias nos in tempore senectutis: cum defecerit virtus nostra, ne derelinquas nos Domine. Sancte Deus. ℣. Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Domine, & armis tuæ potentiæ protege nos semper Deus noster. Sancte Deus. ℣. Aspice Domine de sede sancta tua, & cogita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram. Sancte Deus. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sancte Deus. Kyrie eleison.

Christe

Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. ℣. Miserere mei Domine quoniam infirmus sũ. ℟. Sana me Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea. ℣. Post partum Virgo inuiolata permansisti. ℣. Angelis suis Deus mandauit de te. ℟. Vt custodiant, &c. ℣. Ora pro nobis beate Pater Dominice. ℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Mitte ei Dñe auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℣. Dominus vobiscum. O remus.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus infirmitatem famuli tui propitius respice: atque ad protegendum eum dexteram tuæ maiestatis extende.

Orat.

COncede hunc famulum tuum, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis salute gaudere: & gloriosæ beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Oratio. Deus, qui miro. pag. 54.

Oratio.

COncede quæsumus omnipotens Deus: vt qui peccatorum nostrorum pondere premimur: beati Dominici confessoris tui Patris nostri patrocinio subleuemur.

Oratio.

PReces, quas tibi Domine pro famulo tuo ægroto offerimus, intercedente beato Petro martyre tuo, cle-

Digitized by Google

clementer intende: & pugiles fidei sub tua protectione custodi. Oratio. Deus, qui Ecclesiam tuam beati Thomæ. p. 58. Oratio. Deus, qui gentium. p. 58.

Oratio.

DEus, qui dedisti legem Moysi in summitate montis Sinai, & in eodem loco per sanctos Angelos tuos corpus beatæ Catharinæ virginis & martyris tuæ mirabiliter collocasti: præsta quæsumus, vt eius meritis, & intercessione, ad montem, qui Christus est peruenire valeamus. Oratio. Deus, qui beatæ Catharinæ virginitatis. pag. 61. Oratio. Largire nobis clementissime Pater. pag. 71.

Oratio.

DEus, qui facturæ tuæ semper pio dominaris affectu, inclina aurem tuam supplicationibus nostris: & famulum tuum aduersa valetudine corporis laborantem placatus respice: & visita in salutari tuo, & cælestis gratiæ præsta ei medicinam. Per Dominum nostrum. in vnitate eiusdem. ℟. Amen.

Completa vltima Oratione, Sacerdos vtramque manum ponat super caput infirmi, & dicat Orationem de beato Vincentio, videlicet.

SVper ægros manus imponent, & bene habebunt. Iesus Mariæ Filius, mundi salus, & Dominus, qui te traxit ad fidem catholicam, te in ea conseruet, & beatum faciat, & meritis beatæ Virginis Mariæ, et beati Dominici Patris nostri, et beati Vincentij, et omnium Sanctorum, te ab hac infirmitate liberare dignetur.

Postea dicat.

ni-

Initium ſancti Euangelij ſecundùm Ioannem.

Cap. 1.

IN principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt: et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt, in ipſo vita erat & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eum non comprehenderunt. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimonium vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In propria venit; & ſui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.

Poſtea ſubiungat dicens.

DOminus Ieſus Chriſtus apud te ſit, vt te defendat: intra te ſit, vt te conſeruet: ante te ſit, vt te deducat: poſt te ſit, vt te cuſtodiat: ſuper te ſit, vt te benedicat: qui cum Patre, & Spiritu ſancto in vnitate perfecta viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum.

Amen.

Amen. Benedictio Dei omnipotentis Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † sancti descendat super te, & maneat semper. ℟. Amen.

Prædicta Oratio super infirmos, potest abbreuiari ad libitum, & applicari etiam Eligie so infirmo.

Sequitur alia breuis Oratio, quam potest quis dicere super infirmum, si non est infirmus valde grauis, videlicet, dicatur Psal. 120. Leuaui oculos. Ant. Media vita, &c. cum suo ℣. vt supra pag. 268. Sub tuum. ℣. Sancti Dei omnes &c. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. ℣. Pater noster. ℣. Et ne nos. ℣. Saluum fac &c. ℟. Deus meus, &c. ℣. Mitte ei Domine auxiliũ de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Post partum Virgo inuiolata permansisti. ℟. Dei Genitrix intercede pro nobis. ℣. Lætamini in Domino, & exultate iusti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Oratio.

DEus, qui nos in tantis periculis constitutos, pro humana scis fragilitate non posse subsistere: concede nobis salutem mentis, & corporis: vt ea, quæ pro peccatis nostris patimur, te adiuuante vincamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

Alia Oratio.

DEus, infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilij tui super infirmum nostrum ostende virtutem: vt ope misericordiæ tuæ adiutus, ecclesiæ tuæ sanctæ incolumis repræsentari mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dic.

Digitized by Google

COncede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis salute gaudere: & gloriosa B. Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberare tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Dominum.

Deinde dicat Orationem. Oratio.

TRibue quæsumus omnipotens Deus, omnes Sanctos, & electos tuos pro infirmo hoc famulo tuo iugiter orare: & eos clementer exaudire digneris. Per Iesum Christum, &c.

Postea subiungat dicens. Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti descendat super te, & maneat semper.

DE COMMVNIONE INFIRMI.

QVando debet communicari infirmus pulsetur campana Capituli, & vadat Prælatus cum Conuentu ad Ecclesiam, vel illi cui inuenerit indutus camisia, vel superpelliceo cum stola: præcedentibus Ceroferarijs cum superpelliceis, & accedens ad altare; vbi seruatur corpus Christi, dicat **Confiteor**, & priùs genua flectens reuerenter assumat Corpus Christi, & reponat in Calice præparato, & cooperiat patena & mappula munda, & comitante Conuentu & Ceroferarijs præcedentibus, & alijs duobus fratribus, quorum vnus portet lanternam cum lumine, & nolam, pulsando eam: & alius aquam benedictam, & ampullas cum vino & aqua.

Digitized by Google

Sacerdos verò deferens corpus Christi, dicat alternatim cum Conuentu Canticum Graduum. De ministris & alijs necessarijs debet prouidere Sacrista. Cum autem peruenerit ad infirmum, dicat Sacerdos: **Pax huic domui.** Et respondentibus alijs. **Et omnibus habitantibus in ea.** Deinde dicat. ℣. Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor. Aspergendo infirmo. Deinde ℣. Saluum fac seruum tuum Domine. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Oratio.

DEus infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilij tui super infirmum nostrum ostende virtutem: vt ope misericordiæ tuæ adjutus, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumis representari mereatur. Per Christum.

Deinde dicat infirmus Confiteor, &c. Et absoluatur a Sacerdote dicente: Misereatur, &c. & Absolutionē, &c. Deinde proposita sibi Eucharistia, quærat ab eo Sacerdos. Credis quod hic sit Christus Saluator mundi. Et respondeat: Credo: porrigat ei Eucharistiam, dicens: Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te, & perducat ad vitam æternam. Amen. Postea abluat digi-

tos,

tos, & det ei ablutionem. Quo facto, dicat: ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

EXàudi nos Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: & mittere dignare sanctum Angelum tuum de cælis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet & defendat omnes habitantes in hoc habitaculo! Per Christum Dominum nostrum.

Postea reuertantur eo ordine quo venerunt ad Sacristiam: nola tamen non pulsetur, nisi fortè in casu quo Corpus Domini contingeret reportari.

DE EXTREMA VNCTIONE.

ADinungendum infirmum, pulsetur signum cum campana, cum qua solet pulsari primum signum ad Horas, aliquantulum tamen prolixius, quàm primùm signum Horarum. Et facto modico interuallo, iterum pulsetur cum eadem campana, sed aliquantulum prolixius quàm priùs. Sacrista interim prouideat de Fratribus, qui aquam benedictam & cereos, & lanternam, & Crucem deferant. Et fratribus in Chorum venientibus, Prælato, vel illo, cui inunxerit, induto superpelliceo, cum stola, procedat ad Infirmum, præcedente aqua benedicta & duobus Ceroferarijs in superpelliceis: deinde lanterna cum lumine, subsequente Cruce: post Crucem sequatur Sacrista, qui Oleum sanctum portet (quod semper sit in Sacristia, & annuatim renouetur): portet etiam stuppam, vel pannum linteum

ad exiergendum vncturam. Poſtea ſequatur qui facit officium. Deinde ſequatur Conuentus eo ordine quo ſunt ad Capitulum. Cum autem peruenerit ad Infirmum, qui agit Officium, dicat aliquantulum alte: **Pax huic domui.** Et conuentus reſpondeat: **Et omnibus habitantibus in ea:** Poſtea aſpergatur Infirmus aqua benedicta. Deinde dicat: **Dominus vobiſcum.**

Oremus.

DOmine Deus, qui per Apoſtolum tuum Iacobum loquutus es, dicens: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, vt orent ſuper eum: vngentes eum Oleo ſancto in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit Infirmum, & alleuiabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei: quæſumus Domine Redemptor noſter, gratia Spiritus ſancti, cura languores iſtius Infirmi, & ſana eius vulnera, ac dimitte peccata: atque cunctos dolores cordis & corporis ab eo expelle: & plenam ei interius exteriuſque ſanitatem miſericorditer redde: vt ope miſericordiæ tuæ reſtitutus & ſanatus, ad priſtina reparetur officia. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Hac Oratione finita, & reſponſo, **Amen.** Infirmus ad inſinuationem illius, qui facit Officium, humiliter roget Prælatum & cæteros, qui aſſant, vt ſi quid erga eos deliquit, ei dimittant. Quod etiam fieri poteſt in Communione. Et illo, qui facit Officium, reſpondente, quod ei totum dimittunt, dicat infirmus: **Confiteor, &c.** vel ſi illud dicere nequierit, tundens pectus

ctus ſuum ſi commode poterit, dicat: **mea culpa, de omnibus peccatis meis:** Et dicatur ei à Conuentu: **Miſereatur tui omnipotens Deus, &c.** poſtea Prælatus ſiue faciat Officium ſiue non, dicat: **Abſolutionem, & remiſſionem, &c.** Si verò Prælatus abſens fuerit, ille qui facit Officium dicat abſolutionem. Quòd ſi Prælatus fuerit inungendus, ipſe ſimiliter roget Fratres, vt ei dimittant, ſi quid circa eos deliquit. Et illo qui facit Officium reſpondente, vt ſupra: dicat Prælatus: **Confiteor Deo, &c.** & Conuentus ſubiungat. **Miſereatur, &c.** Et qui facit Officium dicat: **Abſolutionem, &c.** Poſtmodum Fratres humiliter rogent eum, vt dimittat eis quidquid erga eum deliquerunt. Quò remittente, petant ab eo etiam abſolutionem, & dicant: **Confiteor, &c.** & ipſe ſubiungat: **Miſereatur veſtri omnipotens.** & **Abſolutionem, &c.** Si Prælatus infirmitate impediente loqui nequiuerit, ſeruetur circa eum illud ſolum, quod circa alios ſuperius eſt notatum. His expeditis, qui facit Officium, offerat infirmo Crucem ad oſculandum. Quo facto, & Cruce reddita, qui facit Officium, incipiat Antiph. **Intret oratio.** & Pſalm. **Domine ne in furore.** & Conuentus ſtando proſequatur ipſum & reliquos Pſalm. Pœnitentiales, terminando quemlibet cum **Gloria Patri.** Dum autem hi dicuntur, accedat ad infirmum Sacerdos, & inungat eum Oleo ſancto faciendo Crucem cum pollice in oculis, in auribus, & in naribus, in ore clauſo exterius, in vtriſque manibus expanſis interius,

Per iſtam, &c.

Per iſtam ſanctam, &c.

MODVS AD VNGENDVM

Forma Sacramenti extremæ Vnctionis.

PEr iſtam vnctionem, & ſuam ſanctam ac pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum.

Per iſtam vnctionem, & ſuam ſanctam ac pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per auditum.

Per iſtam vnctionem, & ſuam ſanctam ac pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per odoratum.

Per iſtam vnctionem, & ſuam ſanctam ac pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per guſtum.

Per iſtam vnctionem, & ſuam ſanctam ac pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per tactum.

Per iſtam vnctionem, & ſuam ſanctam ac pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per greſſum.

Per iſtam vnctionem, &c.

Intret oratio mea in conſpectu tuo: inclina aurem tuam ad preces noſtras Domine. Pater noſter. ℣. Et ne nos inducas in tentationẽ. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Saluum fac ſeruum tuum. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

VÆſumus omnipotens Deus: vt ſicut famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donaſti: ita & hunc famulum tuum à lecto ægritudinis tua potentia erigat ad ſalutem. Per Chriſtum.

Oremus.

REſpice Domine famulum tuum in infirmitate corporis laborantem: & animam refoue quam creaſti: vt caſtigationibus emendata, continuò ſe ſentiat tua medicina ſaluatam. Per Chriſtum.

Digitized by Google

Oremus. Oratio.

DEus, qui facturæ tuæ semper pio dominaris affectu: inclina aurem tuam supplicationibus nostris, & famulum tuum ex aduersa valetudine corporis laborantem placatus respice, & visita in salutari tuo, & cælestis gratiæ præsta ei medicinam. Per Christum Dominum. Oremus. Oratio.

DEus infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilij tui super infirmum nostrum ostende virtutem: vt ope misericordiæ tuæ adjutus, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumis representari mereatur. Per Christum Dominum nostrum.

Oremus. Oratio.

DEus, qui humano generi & salutis remedium, & vitæ æternæ præmia contulisti: conserua famulo tuo tuarum dona virtutum, & concede, vt medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per Christum.

Oremus. Oratio.

VIrtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis: adesto propitius huic famulo tuo, vt fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen sanctum tuum instaurata protinus sanitate benedicat. Per Christum.

Oremus. Oratio.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem humanæ conditionis infusa

vir-

virtutis dignatione confirmas; vt salutaribus remedijs corpora nostra, & membra vegetentur: super famulum tuum propitius intende: vt omni necessitate corporeæ infirmitatis excluſa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecta reparetur. Per Christum.

Deinde qui facit Officium, faciat absolutionem Infirmo sub hac forma.

DOminus Iesus Christus, qui dixit discipulis suis: Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis: de quorum numero nos quamuis indignos esse voluit: ipse te absoluat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis tuis, quæcumque cogitatione, vel locutione, atque operatione negligenter egisti: atque à nexibus peccatorum tuorum absolutum perducere dignetur ad regna cælorum. Qui viuit & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus.

Forma generalis Absolutionis in mortis articulo, vel alias, cum Confessarius habet plenissimam potestatem à Pontifice: Dicat priùs confitens; Confiteor Deo, &c. Deinde Sacerdos: Misereatur tui, &c.

Absolutio.

DOminus noster Iesus Christus per suam pijssimam misericordiam te absoluat, Et ego auctoritate ipsius, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius: Et auctoritate Apostolica ex speciali gratia mihi commissa, & tibi concessa à Sanctissimo Domino nostro N. Papa N. Absoluo te ab omni vinculo excommuni-

municationis maioris & minoris, ſuſpenſionis & interdicti ſi teneris: & reſtituo te ſanctis Sacramentis Eccleſiæ, communioni & vnitati fidelium. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. ℣. Amen.

E Valeris Oratio Dominus vobiſcum. ℣. remus. Oratio Exaudinos Domine ſancte Pater. Vide p. 275.

Dñs vobiſcum. ℣. remus. Oratio Exaudinos. Vide p. 275.

Subuenite. Vide p. 293.

OFFICIVM DE TRANSITV FRATRIS.

C

in Deum,

Tu autem. Tu autem. Confiteantur. vel Memoriam. Agimus tibi gratias, vel Benedictus Deus in donis, &c. Credo in Deum.

Yrie eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Chriſte eleiſon.

Chriſte audi nos.
Chriſte audi nos.
ater de cælis Deus, miſerere ei. Pater, &c.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere ei.
℟. Fili, &c.
℣ Spiritus sancte Deus, miserere ei.
℟. Spiritus, &c.
℣ Sancta Trinitas vnus Deus miserere ei.
℟. Sancta Trinitas, &c.
℣ Sancta Maria, ora pro eo.
℣ Sancta Dei Genitrix, ora pro eo.
℣ Sancta Virgo Virginum, ora pro eo.
℣ Sancte Michael, ora.
℣ Sancte Gabriel, ora.
℣ Sancte Raphael, ora.
℣ Omnes sancti Angeli, & Archãgeli, orate pro eo.
℣ Omnes Sancti beatorum spirituum ordines, orate pro eo.
℣ Sancte Ioannes Baptista, ora pro eo.
℣ Sancte Ioseph, ora.
℣ Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ, orate pro eo.
℣ Sancte Petre, ora.
℣ Sancte Paule, ora.
℣ Sancte Andrea, ora.
℣ Sancte Iacobe, ora.
℣ Sancte Ioannes, ora.
℣ Sancte Thoma, ora.
℣ Sancte Iacobe, ora.
℣ Sancte Philippe, ora.
℣ Sancte Bartholomæe, ora.
℣ Sancte Matthæe, ora.
℣ Sancte Simon, ora.
℣ Sancte Thadæe, ora.
℣ Sancte Matthia, ora.
℣ Sancte Barnaba, ora.
℣ Sancte Marce, ora.
℣ Sancte Luca, ora.
℣ Omnes sancti Discipuli Domini, orate.
℣ Omnes sancti Innocentes, orate.
℣ Sancte Stephane, ora.
℣ Sancte Clemens, ora.
℣ Sancte Corneli, ora.
℣ Sancte Cypriane, ora.
℣ Sancte Laurenti, ora.
℣ Sancte Vincenti, ora.
℣ Sancte Dionysi cum Sociis tuis, ora.

Digitized by Google

Sancte Mauritij cum Socijs tuis, ora.
Sancti Ianuarij cum Socijs tuis, ora.
Sancti Fabiane & Sebastiane, orate.
Sancti Cosma & Damiane, orate.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Petre, ora.
Omnes sancti Martyres, orate pro eo.
Sancte Syluester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Hilari, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Sancte Antonine, ora.
Sancte Pater Dominice, ora pro eo.
Sancte Pater Dominice, ora pro eo.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Hyacinthe, ora.
Sancte Raymunde, ora.
Sancte Ludouice, ora.
Sancte Pie, ora.
Sancte Alberte, ora.
Sancte Gundisalue, ora.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Francisce, ora,
Omnes sancti Confessores, orate:
Sancta Anna, ora.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Martha, ora.
Sancta Felicitas, ora.
Sancta Perpetua, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Rosa, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Margarita, ora.
Sancta Vrsula cum sodalibus tuis, ora.
Sancta Catharina, ora.

San-

Sancta Agnes, ora.
Omnes sanctæ Virgines, orate pro eo.
Omnes Sancti, orate.
Propitius esto, libera eũ.
℟. Propitius, &c.
A damnatione perpetua, libera eum Domine.
A subitanea & improuisa morte, libera.
Ab imminentibus peccatorum suorum periculis, libera.
Ab infestationibus dæmonum, libera.
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, lib.
Per Passionem, & Crucem tuam, libera.
Per gloriosam Resurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem Ascensionem tuam, libera.
Per gratiam sancti Spiritus Paracliti, libera.
In die iudicij, libera.
Peccatores, te rogamus audi nos.
℟. Peccatores, &c.
Vt iracundiæ tuæ flagella ab eo amoueas, te rogamus audi nos.
Vt eius spiritum à loco angustiæ liberes te rogamus audi nos.
Vt eum in regione viuorum æternis gaudijs confoueri iubeas, te rogamus audi nos.
Vt nos exaudire digneris, te rog.
Fili Dei, te rog.
℟. Fili Dei, te rog.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, parce ei Domine.
℟. Agnus Dei, &c.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, libera eum Domine.
℟. Agnus Dei, &c.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere ei. ℟. Agnus Dei, &c.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Dicantur ista tria communiter ab omnibus: deinde in silentio dicant omnes: Pater noster. Quo dicto, dicat Sacerdos: ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Saluum fac seruum tuũ. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi, &c. ℟. Et clamor, &c. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, conseruator animarum, qui quos diligis, corripis, & quos recipis, piè ad emendationem coerces: te inuocamus Domine, vt famulo tuo, qui in corpore patitur membrorum debilitatem, gratiam tuam conferre digneris, vt in hora exitus sui de corpore, absque mortalis peccati macula, tibi datori proprio, per manus sanctorum Angelorum tuorum eius anima representari mereatur. Per Christum Dominum.

Finitis Litanijs si Frater, vel Soror adhuc vixerit poterunt ei à Patre Sacerdote legi protestationes, quæ habentur inferius, in Commendatione animæ sæcularibus personis, & recitari ab eodem Orationes quæ similiter sunt notatæ inf. vna cum Passionibus Domini, vel omnes vel aliquæ illarum sicut necesse fuerit, & cum viderint Infirmum signis euidentibus morti proximum, intermittens Passiones, & dicat sequentem

Com-

Commendationem animæ, quæ eſt ſecundum vſum Romanæ Eccleſiæ.

PRoficiſcere anima Chriſtiana de hoc mundo. In nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creauit. In nomine Ieſu Chriſti Filij Dei viui, qui pro te paſſus eſt. In nomine Spiritus ſancti, qui in te effuſus eſt. In nomine Angelorum, & Archangelorum. In nomine Thronorum, & Dominationum. In nomine Principatuum, & Poteſtatum. In nomine Cherubim, & Seraphim. In nomine Patriarcharum, & Prophetarum. In nomine ſanctorum Apoſtolorum, & Euangeliſtarum. In nomine ſanctorum Martyrum, & Confeſſorum. In nomine ſanctorum Monachorum, & Eremitarum. In nomine ſanctarum Virginum, & omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei. Hodie ſit in pace locus tuus: & habitatio tua in ſancta Sion. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

O remus. Oratio.

DEus miſericors, Deus clemens, Deus qui ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis euacuas: reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum N. & remiſſionem omnium peccatorum ſuorum tota cordis confeſſione poſcentem deprecatus exaudi. Renoua in eo, pijſſime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum eſt: & vnitati corporis Eccleſiæ membrum redemptionis annecte. Miſerere

Do-

Digitized by Google

Domine gemituum, miſerere lachrymarum eius: & non habentem fiduciam, niſi in tua miſericordia, ad tuæ ſacramentum reconciliationis admitte. Per Chriſtum Dominum.

COmmendo te omnipotenti Deo, chariſſime frater, & ei cuius es creatura, committo: vt cum humanitatis debitum morte interueniente perſolueris, ad Auctorem tuum, qui te de limo terræ formauerat, reuertaris. Egredienti itaque animæ tuæ de corpore ſplendidus Angelorum cœtus occurrat: iudex Apoſtolorum tibi ſenatus adueniat; candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obuiet: & liliata rutilantium te Confeſſorum turma circumdet: iubilantium te Virginum chorus excipiat: & beatæ quietis in ſinu Patriarcharum te complexus aſtringat: mitis atque feſtiuus Chriſti Ieſu tibi aſpectus appareat, qui te inter aſſiſtentes ſibi iugiter intereſſe decernat. Ignores omne quod horret in tenebris, quod ſtridet in flammis, quod cruciat in tormentis: Cedat tibi teterrimus ſatanas cum ſatellitibus ſuis: in aduentu tuo, te comitantibus Angelis, contremiſcat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius: & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiat: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei: & iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei. Confundantur igitur & erubeſcant omnes tartareæ legiones, & miniſtri ſatanæ iter tuum impedire non audeat. Li-

Digitized by Google

beret te à cruciatu Christus, qui pro te Crucifixus est. Liberet te ab æterna morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus Filius Dei viui intra Paradisi sui semper amœna virentia, & inter oues suas te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis absoluat, atque ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, & præsens semper assistens, manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter agmina beatorum, contemplationis diuinæ dulcedine potiaris in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Vscipe Domine seruum tuum in locum sperandæ sibi saluationis è misericordia tua. ℟. Amen. Libera Domine animam serui tui ex omnibus periculis inferni, & de laqueis pœnarum, & ex omnibus tribulationibus. ℟. Amen. Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Henoch & Eliam de communi morte mundi. ℟. Amen. Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Noe de diluuio. ℟. Amen. Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Abraham de Vr Caldæorum. ℟. Amen. Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Iob de passionibus suis. ℟. Amen. Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Isaac, de hostia, & de manu patris sui Abrahæ. ℟. Amen. Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Lot de Sodomis, & de flamma ignis. ℟. Amen. Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti

berasti Moysen de manu Pharaonis regis Aegyptiorum. ℟. Amen. Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Danielem de lacu leonum. ℟. Amen. Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis, & de manu regis iniqui. ℟. Amen. Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Susannam de falso crimine. ℟. Amen. Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Dauid de manu regis Saul, & de manu Goliæ. ℟. Amen. Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Petrum & Paulum de carceribus. ℟. Amen. Et sicut beatissimam Theclam virginem, & martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberasti, sic liberare digneris animam huius serui tui, & tecum facias in bonis congaudere cælestibus. ℟. Amen.

Oratio.

COmmendamus tibi Domine animam famuli tui N. precamurque Domine Iesu Christe, Saluator mundi, vt propter quam ad terram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce Domine creaturam tuam, non à dijs alienis creatam, sed à te solo Deo viuo, & vero: quia non est alius Deus præter te, & non est secundum opera tua. Lætifica Domine animam eius in conspectu tuo, & ne memineris iniquitatum eius antiquarum, & ebrietatum, quas suscitauit furor siue feruor mali desiderij. Licet enim peccauerit, tamen Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum non negauit, sed credi-

Digitized by Google

dit, & zelum Dei in se habuit, & Deum qui fecit omnia, fideliter adorauit.

Oratio.

DElicta iuuentutis, & ignorantias eius, quæsumus, ne memineris Domine, sed secundùm magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei cæli, collætentur illi Angeli. In regnum tuum Domine seruum tuum suscipe. Suscipiat eum sanctus Michael Archangelus Dei, qui militiæ cælestis meruit principatum. Veniant illi obuiam sancti Angeli Dei, & perducant eum in ciuitatem cælestem Ierusalem. Suscipiat eum beatus Petrus Apostolus, cui à Deo claues regni cælestis traditæ sunt. Adiuuet eum sanctus Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo sanctus Ioannes electus Dei Apostolus, cui reuelata sunt secreta cælestia. Orent pro eo omnes sancti Apostoli, quibus à Domino data est potestas ligandi atque soluendi. Intercedant pro eo omnes Sancti, & electi Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc sæculo sustinuerunt, vt vinculis carnis exutus, peruenire mereatur ad gloriam regni cælestis: præstante Domino nostro Iesu Christo: Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, & regnat, &c.

Si anxiatur adhuc anima, dicantur hi Psalmi, videlicet. Psalm. 117. Confitemini Domino, et totus Psalm. 118. Beati immaculati. per horas distributus. Si autem expletis his omnibus, nondum obierit, recedant, relinquentes ibi Crucem, et aquam benedictam.

Et

Digitized by Google

Et prior de aliquibus Fratribus prouideat, qui remaneant ibidem, & dicant Psalterium sine Gloria Patri, &c. Qui cum certo signo viderint Fratrem in proximo moriturum, iterum percussa tabela, aduocent Fratres: Et repetant Commendationem animæ, vt supra.

DE OFFICIO POST OBITVM FRATRIS.

IMmediatè egressa anima, terminent Fratres Psalmos, quos dicebant per Requiem, & fiat commendatio à Sacerdote cum stola incipiente sequens ℟. & ℣. sine cantu. Totum autem Commendationis Officium dicatur legendo distincte: quoadusque inchoandum fuerit à Cantore. ℟. Libera me. cum cantu. ℟. Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini suscipientes animam eius, Offerentes eam, In conspectu Altissimi. ℣. Suscipiat te Christus, qui vocauit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te, Suscipientes. ℣. Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei Offerentes. Deinde: Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. secreto, ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Requiem æternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dns vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

TIbi Domine commendamus animam famuli tui N. vt defunctus sæculo, tibi viuat: & quæ per fragilitatem humanæ conuersationis peccata commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

MIsericordiam tuam Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, pietatis affectu pro alijs rogare cogimur, qui pro nostris supplicare peccatis nequaquam sufficimus: tamen de tua confisi gratuita pietate, & solita benignitate, clementiam tuam deposcimus, vt animam serui tui, ad te reuertentem cum pietate suscipias: adsit ei Angelus testamenti tui Michael: & per manus sanctorum Angelorum inter Sanctos, & electos tuos in sinibus Abrahæ, Isaac, & Iacob Patriarcharum tuorum eam collocare digneris: quatenus liberata de principibus tenebrarum, & locis pœnarum, nullis iam primæuæ natiuitatis, vel ignorantiæ, aut propriæ iniquitatis, seu fragilitatis confundatur erroribus: sed potius agnoscatur à tuis: & sanctæ beatitudinis requie perfruatur: atque cum magni iudicij dies aduenerit, inter sanctos, & electos tuos resuscitatus, gloria manifestæ contemplationis tuæ perpetuò satietur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Sacerdos incipit Antiph. Suscipiat. & finim. In exitu Israel. & cæteri prosequuntur. Quo dicto, dicatur

tur Antiphona. Suscipiat te Christus, qui vocauit te: & in Sinum Abrahæ Angeli deducant te.

Interim Prælatus prouideat quomodo corpus inuoluetur: & si necesse fuerit, ab aliquibus in secreto lauetur.

Est autem sepeliendus Frater cum tunica, & caputio vel ante faciem eius, & superposito; manibus in modum Crucis dispositis: & cum caligis, & soccis, & cingulo decentibus & decenter aptatis: adhibita cautela circa prædicta, ne defluant, vel nimis stricte circa corpus applicentur. Ist etiam habendum proprium feretrum, strictum & idoneum: infra quod corpus repositum non eleuet coopertorium. Quod etiam habendum est proprium & honestum, sed humile, habens crucem circa locum cooperientem corpus defuncti. Cum autem corpus inuoluitur, Fratres seorsum à defuncto ordinati, prout locus permiserit, Commendationis Officium prosequantur. Sacrista vero prouideat de thuribulo & cereis, & Cantor prouideat de his qui aquam benedictam, & Crucem deferant. Dicta post Psalm. Antiph. dicat Sacerdos:

O remus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui humano corpori animam ad similitudinem tuam inspirare dignatus es, dum te iubente puluis in puluerem reuertitur: tu imaginem tuam, cum sanctis & electis tuis æternis sedibus præcipias sociari: eamque de Aegypti partibus ad te reuertentem blandè leniterque

ſuſcipias, & Angelos tuos ſanctos ei obuiam mittas: viamque illi iuſtitiæ demonſtrare, & portas gloriæ tuæ aperire digneris. Repelle quæſumus Domine, ab ea omnes principes tenebrarum, & agnoſce depoſitum, quod tuum eſt: ſuſcipe Domine creaturam tuam non à dijs alienis creatam, ſed à te ſolo Deo viuo, & vero: quia non eſt alius Deus præter te Domine, & non eſt ſecundùm opera tua: lætifica clementiſſime Deus animam ſerui tui, & clarifica eam in multitudine miſericordiæ tuæ: ne memineris quæſumus iniquitatum eius antiquarum, & ebrietatum eius, quas ſuſcitauit furor, vel feruor mali deſiderij: licet enim peccauerit, tamen te non negauit, ſed ſigno fidei inſignitus, te, qui omnia, & eum inter omnia feciſti, fideliter adorauit. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Amen.

Deinde incipiat Sacerdos Antiph. **Chorus Angelorum.** & Pſal. **Dilexi, quoniam,** & proſequatur Concentus Pſal. & alios qui notati ſunt. In fine omnium dicatur: **Requiem.** Poterunt autem Fratres ſedere, dum dicunt hos Pſal. V. **Chorus.** Pſal. **Dilexi.** Pſal. **Credidi.** Pſalm. **Laudate Dominum omnes gentes.** Pſal. **Confitemini.** Pſalm. **Beati immaculati** vſque ad Pſalm. **Ad Dominum cum tribularer clamaui.** Finitis Pſalmis, ſtent Fratres, & ſubiungat Antiph. **Chorus Angelorum eum ſuſcipiat:** & **in ſinu Abrahæ eum collocet,** vt cum Lazaro quondam paupere æternam habeat requiem.

Digitized by Google

DIri vulneris nouitate percussi, & quodammodò cordibus sauciati, misericordiam tuam mundi Rèdemptor flebilibus vocibus imploramus: vt fratris nostri N. animam ad tuam clementiam, qui fons pietatis es, reuertentem, blandè, leniterque suscipias: & quas illa ex carnali commoratione contraxit maculas, tu Deus solita benignitate clementer deleas, pie indulgeas, obliuioni in perpetuum tradas, atque hanc, laudem tibi cum cæteris reddituram, & ad corpus quandoque reuersuram, sanctorum tuorum cœtibus aggregari præcipias. Qui viuis & regnas. Per omnia sæcula sæculorum.

Postea dicatur. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas. ℟. Sed libera nos. ℣. Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. ℟. Quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

PArtem beatæ resurrectionis obtineat, vitamque æternam, habere mereatur in cœlis, per te Iesu Christe Saluator mundi. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis & regnas Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus. Oratio.

DEus, cui soli conuenit medicinam præstare post mortem, præsta quæsumus: vt anima famuli tui,

tui, terrenis exuta cõtagijs, in tuæ redemptionis parte numeretur. Per Christum.

O remus. Oratio.

FIdelium Deus omnium conditor, & Redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: vt indulgentiam, quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur. Qui viuis, & regnas, cum Deo Patre in vnitate, &c.

Et hic Commendationis finitur Officium: quo completo, dicant Horas suas, qui eas dicere debuerint. Quibus dictis, vel si eas dicere non debuerint, statim incipiatur Psalterium. Inuoluto corpore, & in feretro collocato, congregatis circa ipsum Fratribus, dimittatur psalmodia: finito tamen Psalmo incœpto, per ℣. Requiem æternam.

Tunc Sacerdos resumat stolam, si eam deposuit, & aspergens corpus aqua benedicta, & thurificans dicat: Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

O remus. Oratio.

SVscipe Domine animam serui tui, quam de ergastulo huius sæculi vocare dignatus es: & libera eam de principibus tenebrarum, & de locis pœnarum: vt absoluta omnium vinculo peccatorum, quietis æternæ beatitudine perfruatur: & inter Sanctos & electos tuos in resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Per Christum Dominum.

Hac Oratione dicta, Cantor incipiat ℟. Libera me Do-

Domine de morte æterna, cum cantu, & Conuentus prosequatur cum Versibus & resumptionibus à Cantore incipiendis: & tunc campana pulsetur: & sic deferatur corpus in Ecclesiam, tali ordine, vt aqua benedicta præcedat, postea Thuriferarius, deinde Ceroferarij, postea Crux sequatur in medio. Post Crucem incedant Fratres eo ordine quo stant in Choro, præcedentibus iunioribus: post omnes Sacerdos cum stola, vltimò defunctus à quatuor Fratribus, quibus Cantor innuerit, deferatur: quos & Conuersi sequentes poterunt adiuuare. Venientes autem in Ecclesia, deponant corpus in Choro, ita quod facies defuncti, Altare respiciat, versis eius ad illud pedibus. Deinde illi, qui portant aquam, & thuribulum, ordinent se ad pedes defuncti, vnus hinc, & alius inde versis ad se mutuò vultibus: Ceroferarij vero ordinent se ad caput versis vultibus ad Altare. Frater vero qui Crucem defert, colloceat eam ad caput defuncti, verso vultu Crucifixi ad caput defuncti, & post Crucem stet. Et finito Responsorio, **Libera me Domine**, cum Versibus, & resumptionibus, Sacerdos dicat alta voce.

℣. **A porta inferi.** ℟. **Erue Domine animam eius.**

℣. **Dominus vobiscum.** ℟. **Et cum spiritu tuo.**

Oremus. Oratio.

INclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur: vt animam famuli tui, quam de hoc sæculo migrare iussisti, in pacis, ac lucis regione constituas, & sancto-

sanctorum tuorum iubeas esse consortem. Per Christum Dominum nostrum.

Si Frater defunctus fuerit Sacerdos, vel Episcopus, dimissa præcedenti Oratione, dicatur hæc:

DEus qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulum tuum Pontificali, (vel Sacerdotali) fecisti dignitate vigere: præsta quæsumus, vt eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Christum Dominum nostrum.

Hac Oratione finita, ponantur duo cerei accensi super candelabra hinc & inde, & aqua benedicta, & thuribulum sicut commodè poterunt, collocentur ibidem. Porro si Fratres refectionem intermiserant, redeant ad illam: ita tamen, vt nola non pulsetur, nec benedictio repetatur: sed Lector incipiat vbi dimiserat: Quod etiam fiat in Quadragesima. Prouideat autem Prior ne corpus solum remaneat, sed aliqui Fratres ibi Psalterium legant. Quod si refectionem non Intermiserint, finita Oratione, quam supra diximus: **Inclina**: residentes in Choro incipiant Psalterium, vbi in Infirmitorio dimiserunt. Horas suas suis temporibus, Psalterium intermittentes diligenter cantent. & expletis Horis, incipiant in Psalterio vbi dimiserant. Si tali hora obierit, vt de eo Missa celebrari possit in Conuentu, eo die sepeliatur, sin autem, in crastinum reseruetur; vel eodem die sepeliatur ante, vel etiam post, maximè in æstate. Si autem ab hora vespertina moriatur, in crastinum reseruetur.

Cum

Cum vero in craſtinum reſeruatur agantur in nocte circa eum vigiliæ hoc modo: Sacriſta noctem diuidat in duas vigilias communiter prout poterit. In prima vigilia vigilet dexter Chorus dicendum Pſalterium. Et circa finem primæ vigiliæ, cum eis viſum fuerit, dicant Matutinas ſuas legendo. Quibus dictis, cum prima vigilia tranſacta fuerit, pulſentur Matutinæ: & alijs Fratribus in Chorum venientibus, eant dormitum, qui vigilauerant. Qui vero illa hora ſurrexerint, Matutinarum Officium cantando expleant diligenter. Quo finito, & dicta Pretioſa, vigilent ſicut primi dicendo Pſalterium. Nullus Fratrum mittatur extra, vſquequo defunctus ſepeliatur, niſi magna neceſſitas immineat. Quamdiu etiam corpus eſt in Choro, non ſedeant Fratres ibi, vel in locutorio, ſed ſtent circa corpus, & dicant Pſalterium. Qui Officijs deputati ſunt, aſſiſtant defuncto prout poſſunt.

Si competenter fieri poteſt, priuſquam Frater ſepeliatur, debet in Conuentu celebrari Miſſa. Si non quam citius commode poterit, celebretur ſolemniter pro eo. Debent etiam pro ipſo fieri vigiliæ ipſa die qua ſepelitur, ſi factæ non fuerint à Conuentu, antequam ſepeliretur. Quod ſi nec ipſa die poſſint, fiant quàm citius temporis opportunitas occurrerit. Dicatur etiam Officium Defunctorum eo die, etiamſi in Hebdomada iam dictum fuerit. Idque ſufficiat pro obligatione Hebdomadæ. Quæ ſuperius ſcripta ſunt, ſeruanda ſunt circa Fratrem à Conuentu, in quo

moritur, siue in suo, siue in Conuentu alieno moriatur. Si extra Conuentum suum Frater obierit, audita morte ipsius, fiant nihilominus pro eo dictæ vigiliæ in suo Conuentu, Missa similiter celebretur. Quæ etiam facienda sunt pro Magistro Ordinis per totum Ordinem, et pro Priore Prouinciali, in quolibet Conuentu Prouinciæ sibi commissæ, audita morte ipsorum. Missam pro Fratre defuncto, si commode potest, debet Prælatus maior cantare, et totum Officium facere. Fratres hospites, et infirmi, qui commode possunt ad exitum morientis, et ad sepulturam veniant, et stent in ordine suo. Quicquid pro Fratre defuncto fit, antequam sepulturæ tradatur, erit præter hoc quod ei ex Constitutionibus debetur. Dies obitus Magistri Ordinis, siue in Magisterio moriatur, siue ante mortem à Magisterio fuerit absolutus, scribatur in Kalend. Martyrologij, ad finem, et singulis annis recitetur, hoc modo. **Obitus Fratr. N. Ordinis nostri Magistri secundi, vel tertij,** et sic deinceps, et fiant pro eo Orationes secundum quod deuotio Prælati, et Fratrum iudicauerit esse faciendum.

DE OFFICIO SEPVLTVRAE DEFVNCTI Fratris, vel Sororis.

CVm deferendus est Frater defunctus ad sepeliendum, debet paulo ante Sacrista signum ad conuocandos Fratres in Chorum pulsare: et stolas cum libellis Processionalibus Sacerdotibus distribuere: Cantor vero debet de Mi-

nistris

niſtris ad hoc Officium neceſſarijs prouidere. Diſtributis ſtolis et libellis, ſiue Miſſa ſit celebrata tunc, ſiue non, præcedentibus Ceroferarijs in ſuperpelliceis, et Sacerdos ferens libellum, et Diaconus et Subdiaconus induti albis cum ſtolis, et manipulis, venientes ordinent ſe ad caput defuncti hoc modo: vt Sacerdos ſit in medio, poſt Crucem, et Diaconus tenens libellum à dextris eius, et iuxta eum alter Acolytorum, et Subdiaconus cum altero Acolytorum à ſiniſtris. Alij vero duo ordinent ſe ad pedes, verſis ad ſe mutuo vultibus: quorum vnus aquam benedictam, alius thuribulum teneat, miniſtraturi ea, cum neceſſe fuerit Sacerdoti. Deinde quatuor Fratres, quibus dictum fuerit à Cantore, qui delaturi ſunt corpus, induti albis ſine ſtolis, et manipulis, ordinent ſe iuxta feretrum hinc et inde. Et tunc ſine **Dominus vobiſcum**, et **Oremus**, dicat Sacerdos voce mediocri Orationem ſequentem, eo modo, quo ſolent dici Orationes ad Horas diei. Cæteri vero Sacerdotes, qui libellos tenent, dicant Orationem hanc et alias, quæ poſt Reſponſoria ſequuntur in ſilentio.

Oratio.

NOn intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quoniam nullus apud te iuſtificabitur homo, niſi per te omnium peccatorum ei tribuatur remiſſio: non ergo eum, (vel eam) tua iudicialis ſententia premat, quem (vel quam) tibi vera ſupplicatio fidei Chriſtianæ commendat: ſed gratia tua illi ſuccurrente, mereatur euadere iudicium vltionis: qui (vel quæ)

dum

dum viueret, insignitus (vel insignita) est signaculo sanctæ Trinitatis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Hac Oratione finita, & responso à Conuentu, Amen. Cantores incipiant Responsorium: Subuenite Sancti Dei, &c.

Et Conuentus prosequatur Versum: quem cantabunt ipsi, vel alij duo, quibus iniunctum fuerit à Cantore.

Responsorium.



In



Poſt reſumptionem Cantores incipiant: K yrie eleiſon & Conuentus proſequatur. Dum cantatur ℟. Sacerdos accipiens aſperſorium de manu Fratris, aſpergat corpus aqua benedicta: & poſtea thurificet illud. Hoc idem in ſequenti Reſponſorio obſeruetur.

Digitized by Google



y ri e e lei ſon. hri ſte e lei ſon.

y ri e e lei ſon.

yrie eleiſon.

Oremus.

DEus, cui omnia viuunt, & cui non pereunt moriendo corpora noſtra, ſed mutantur in melius: te ſupplices deprecamur, vt quidquid anima famuli tui (vel famulæ tuæ) vitiorum, tuæque voluntati contrarium, fallente diabolo: & propria iniquitate, atque fragilitate contraxit: tu pius, & miſericors abluas indulgendo: eamque ſuſcipi iubeas per manus ſanctorum Angelorum tuorum deducendam in ſinum Patriarcharum tuorum, Abrahæ ſcilicet amici tui, & Iſaac electi tui, atque Iacob dilecti tui: quo aufugit dolor, & triſtitia, atque ſuſpirium: fidelium quoque animæ felici iucunditate lætantur, & in nouiſſimo magni iudicij die inter ſanctos, & electos tuos eam facias perpetuæ gloriæ percipere portionem: quam oculus non vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non aſcendit, quam præparaſti diligentibus te. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. Amen.

Finita

Finita Oratione, sequitur &c. inchoandum, & cantandum, vt supra de alio dictum est: & aspergit corpus, & thurificet.

Responsorium.



Digitized by Google



Kyrie eleison. Christe eleison. ut sup. notatii est.

Dicto Kyrie eleison. dicat Sacerdos eo modo, quo supra videlicet.

Oremus. Oratio.

FAc quæsumus Domine, hanc cum seruo tuo defuncto, (vel ancilla tua defuncta) misericordiam: vt factorum suorum in pœnis non recipiat vicem, qui, (vel quæ) tuam in votis tenuit voluntatem: & quia hic illum, (vel illam) vera fides iunxit fidelium turmis: illic eum, (vel eam) miseratio tua societ Angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum.

Ora-

Digitized by Google

Oratione finita, dicat Sacerdos alta voce.



Pa ter no ſter.

Dicant illud omnes in ſilentio, poſtea ſubiungat Sacerdos.

Et ne nos in du cas in ten ta ti o nem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

INclina Domine aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericordiam tuam ſúpplices deprecamur: vt animam famuli tui, (vel famulæ tuæ,) quam de hoc ſæculo migrare iuſſiſti, in pacis, ac lucis regione conſtituas, & ſanctorum tuorum iubeas eſſe conſortem. Per Chriſtum. ℟. Amen.

Oratio.

DEus, qui inter Apoſtolicos Sacerdotes, famulum tuum Sacerdotali, (vel Pontificali, ſi fuerit Epiſcopus,) feciſti dignitate vigere: præſta quæſumus, vt eorum quoque perpetuo aggregetur conſortio. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Dum hæc Oratio dicitur, vel præcedens, Subdiaconus

nus accipiat Crucem de loco ſuo, & Oratione finita Sacerdos incipiat alte ſine nota Antiphonam. **Aperite mihi**, & Cantor Pſal. 117. **Confitemini Domino**, ſicut infra notatum eſt: & Conuentus ipſum proſequatur. Statimque egrediantur Fratres ad locum ſepulturæ hoc ordine. Primo aqua benedicta præcedat, deinde Thuriferarius, poſtea Ceroferarij, & in medio eorum Subdiaconus ferens Crucem: deinde Fratres ſequantur eo ordine, quo ſunt in Choro, præcedentibus iunioribus. Poſtea ſequatur Diaconus ferens libellum: poſt ipſum Sacerdos, vltimo quatuor Fratres, qui corpus deferant: quos Fratres Conuerſi ſubſequentes poterunt adiuuare: dum autem corpus ad tumulum portatur, campana pulſetur.



Antiph. A pe ri te. Pſal. Con fi te mi ni



Do mi no quo ni am bo nus: * quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Dicat nunc Iſrael quoniam bonus: * quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Dicat nunc domus Aaron: * quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Dicant

Dicant nunc qui timent Dominum: * quoniam in ſæculum miſericordia eius.

De tribulatione inuocaui Dominum: * & exaudiuit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adiutor: * non timebo quid faciat mihi homo.

Dñs mihi adiutor: * & ego deſpiciam inimicos meos.

Bonum eſt confidere in Domino, * quam confidere in homine:

Bonum eſt ſperare in Domino, * quam ſperare in principibus.

Omnes gentes circuierunt me: * & in nomine Domini quia vltus ſum in eos.

Circumdantes circumdederunt me: * & in nomine Domini quia vltus ſum in eos.

Circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis: * & in nomine Domini quia vltus ſum in eos.

Impulſus euerſus ſum vt caderem: & Dominus ſuſcepit me.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus: * & factus eſt mihi in ſalutem.

Vox exultationis, & ſalutis * in tabernaculis iuſtorum.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: * dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar, ſed viuam: * & narrabo opera Domini.

Caſtigans caſtigauit me Dominus: * & morti non tradidit me.

Digitized by Google

Aperite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino: * hæc porta Dñi iuſti intrabunt in eam.

Confitebor tibi quoniam exaudiſti me: * & factus es mihi in ſalutem.

Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes: * hic factus eſt in caput anguli.

A Domino factum eſt iſtud: * & eſt mirabile in oculis noſtris.

Hæc eſt dies, quam fecit Dominus: * exultemus, & lætemur in ea.

O Domine ſaluum me fac, ò Domine bene proſperare: * benedictus qui venit in nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Domini: * Deus Dominus, & illuxit nobis.

Conſtituite diem ſolemnem in condenſis, * vſque ad cornu altaris.

Deus meus es tu, & confitebor tibi: * Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi quoniam exaudiſti me: * & factus es mihi in ſalutem.

Confitemini Domino quoniam bonus: * quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Deinde ſubmiſſe dicendo ſubiungat Antiphonam.

Aperite mihi portas iuſtitiæ: & ingreſſus in eas confitebor Domino: hæc porta Dñi, iuſti intrabunt in eam.

Cum ad tumulum peruenerint Sacerdos Miniſtri ordinent ſe ad caput foſſæ modo ſupradicto: vel aliter ſecundum aptitudinem loci, prout commodè poterunt.

Digitized by Google

tant. Conuentus vero ordinetur, sicut loci, & temporis opportunitas permiserit. Deinde Sacerdos Officium peragens, Ministris sibi respondentibus, legendo dicat Orationes cum Psalm. & Antiphonis infrascriptis. Alij vero Sacerdotes, qui libellos tenent, dicant eadem per se silenter. Cæteri autem Fratres, qui libellos non habent, bini & bini dicant Psalmos Pœnitentiales, terminando quemlibet Psalmum per **Requiem.** & si necesse fuerit, addant xv. Graduales, vel omnes, vel aliquos ex eis.

Oremus. Oratio.

PIæ recordationis affectu, fratres chariſſimi, commemorationem facimus chari noſtri, (vel charæ noſtræ,) quem (vel quam) Dominus de tentationibus huius ſæculi aſſumpſit: obſecrantes miſericordiam Dei noſtri, vt ipſe ei tribuere dignetur placidam & quietam manſionem: & remittat omnes lubricæ temeritatis offenſas: vt conceſſa venia plenæ indulgentiæ, quidquid in hoc ſæculo, proprio, vel alieno reatu deliquit, totum ineffabili pietate deleat, & abſtergat: Per Chriſtum. ℟. Amen.

Sequitur Antiphona, Ingrediar. Psalmus 41.

QVemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: * ita deſiderat anima mea ad te Deus.
Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: * quando veniam & apparebo ante faciem Dei?
Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: * dum dicitur mihi quotidie: Vbi eſt Deus tuus?

Hæc

Hæc recordatus ſum,& effudi in me animam meam:* quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei.

In voce exultationis,& confeſſionis:*ſonus epulantis.

Quare triſtis es anima mea ?* & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi :* ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Ad meipſum anima mea conturbata eſt :* propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonijm à monte modico.

Abyſſus abyſſum inuocat, * in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelſa tua, & fluctus tui * ſuper me tranſierunt.

In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam :* & nocte canticum eius.

Apud me oratio Deo vitæ meæ, * dicam Deo : ſuſceptor meus es.

Quare oblitus es mei ?* & quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus ?

Dum confringuntur oſſa mea, * exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei.

Dú dicunt mihi per ſingulos dies: vbi eſt Deus tuus?* quare triſtis es anima mea ? & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi :* ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Finito Pſalmo dicatur Antiph. Ingrediar in domum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei.

Oremus. Oratio

OBsecramus misericordiam tuam omnipotens æterne Deus, qui hominem ad imaginem tuam creare dignatus es: vt animam famuli tui, quem, (vel famulæ tuæ, quam) hodierna die à rebus humanis eximi, & ad te accersiri voluisti: blande, & misericorditer suscipias: non ei dominentur vmbræ mortis, nec contegat eum, (vel eam) chaos & caligo tenebrarum: sed exutus, (vel exuta) omnium criminum labe, in sinu Abrahæ Patriarchæ collocatus, (vel collocata) locum lucis, & refrigerij se adeptum, (vel adeptam) esse congaudeat: vt cum dies iudicij aduenerit, cum Sanctis & electis tuis eum, (vel eam) resuscitari iubeas. Per Christum. ℟. Amen.

Dicta hac Oratione, Sacerdos aspergat corpus aqua benedicta, postea fossam, deinde thurificet vtrumque, & dicat Antiph. **Hæc requies,** & Psal. **Memento &c.** Duo autem ex his, qui corpus portauerunt, descendant in fossam, ad corpus suscipiendum, & duo remaneant ad deponendum. Et cum dicitur Psalmus **Memento.** deponant illud, & collocent supinum, positis pedibus ad Orientem, vel ad Meridiem, secundùm fossæ dispositionem. Quo facto, egrediantur qui descenderant in fossam.

Antiph. **Hæc requies.** Psalmus 131.

MEmento Domine Dauid, * & omnis mansuetudinis eius:

Sicut iurauit Domino, * votum vouit Deo Iacob:

Si introiero in tabernáculum domus meæ, * si ascendero in lectum strati mei:

Si dedero somnum oculis meis, * & palpebris meis dormitationem:

Et requiem temporibus meis: donec inueniam locum Domino, * tabernaculum Deo Iacob.

Ecce audiuimus eam in Ephrata: * inuenimus eam in campis syluæ.

Introibimus in tabernaculum eius: * adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.

Surge Domine in requiem tuam, * tu & arca sanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur iustitiam: * & sancti tui exultent.

Propter Dauid seruum tuum, * non auertas faciem Christi tui.

Iurauit Dñs Dauid veritatem, & nō frustrabitur eam: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filij tui testamentum meum, * & testimonia mea hæc, quæ docebo eos:

Et filij eorum vsque in sæculum, * sedebunt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion: * elegit eam in habitationem sibi.

Hæc requies mea in sæculum sæculi: * hic habitabo quoniam elegi eam.

Viduam eius benedicens benedicam: * pauperes eius saturabo panibus.

Sacer-

sacerdotes eius induant salutari: & sancti eius exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Christo meo.

Inimicos eius induam confusione: super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

Antiphona. Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Deinde dicat:

Oremus. Oratio.

DEus, apud quem mortuorum spiritus viuunt, & in quo electorum animæ depositio carnis onere, plena felicitate lætantur: præsta supplicationibus nostris, vt anima famuli tui, (vel famulæ tuæ) quæ temporali per corpus huius luminis caruit visu, æterno illius solatio potiatur: non eam tormentum mortis attingat, non dolor horrendæ visionis afficiat, non pœnalis timor excruciet, non reorum proxima catena constringat: sed concessa sibi venia delictorum omnium, optatæ quietis consequatur gaudia repromissa. Per Christum Dominum.

Finita Oratione, Sacerdos inchoans Antiphonam. De terra plasmasti me. et Psal. 138. Domine probasti me, & cognouisti. proijciat terram super corpus. Quo facto, qui ad hoc constituti sunt, operiant illud humo, vel claudant monumentum. Sacerdos prosequendo Psalmum inceptum, elonget se paululùm à fossa cum ministris, ante se ordinatis, prout commodè poterunt. Antiphona. De terra plasmasti me: & carne indui-

induiſti mè, Redemptor meus Domine, reſuſcita mẽ in nouiſſimo die.

Remus fratres chariſſimi, pro ſpiritu chari noſtri, quem, (vel charæ noſtræ quam) Dominus de laqueo huius ſæculi liberare dignatus eſt: cuius corpuſculum hodie ſepulturæ traditur: vt eum, (vel eam) pietas Domini in ſinu Abrahæ, Iſaac, & Iacob collocare dignetur: vt cum dies iudicij aduenerit, inter Sanctos, & electos ſuos eum, (vel eam) in parte dextera collocandum, (vel collocandam) reſuſcitari faciat, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Hac Oratione finita, vel alia quacumque de ſuffragijs, cum aliquem adhuc ſperamus: ſequitur Lectionum: Debitum humani, &c. vt infra p. 320.

Deus.

Eus vitæ dator, & humanorum corporum reparator, qui te à peccatoribus exorari voluiſti: exaudi preces, quas ſpeciali deuotione pro anima famuli tui, tibi lacrymabiliter fundimus: vt liberare eam ab inferorum cruciatibus, & collocare inter agmina ſanctorum tuorum digneris: veſte quoque cæleſti, & ſtola immortalitatis indui, & paradiſi amœnitate confoueri iubeas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

re-

Oremus. Oratio.

DEus, qui humanarum animarum æternus amator es, animam famuli tui, quæ veram dum in corpore maneret, tenuit fidem, ab omni cruciatu inferorum redde extorrem: vt segregata ab infernalibus claustris Sanctorum mereatur adunari consortijs. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

DEus, qui iustis supplicationibus semper præsto es, qui pia vota dignaris intueri, qui vniuersorum es conditor, & Redemptor, misericordia quoque peccatorum, & tuorum beatitudo iustorum: da famulo tuo, cuius depositioni hodie officium humanitatis exhibemus, cum sanctis, & electis tuis beati muneris portionem, eumque à corporeis nexibus absolutum, in resurrectione electorum tuorum facias præsentari. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

EMeritatis quidem est Domine, vt homo hominem, mortalis mortalem, cinis cinerem tibi Domino Deo nostro audeat commendare; sed quia terra suscipit terram, & puluis conuertitur in puluerem, donec omnis caro in suam redigatur originem: inde tuam pijssime Pater lacrymabiliter quæsumus pietatem, vt huius famuli tui animam, quam de huius mundi voragine cœnulenta ducis ad patriam, Abrahæ amici tui sinu recipias, & refrigerij rore perfundas: sit ab æstuantis gehennæ truci incendio segregata, &

beatæ

beatæ requiei te donante coniuncta: & si quæ illi fu. Domine dignæ cruciatibus pœnæ: tu ei gratia mitissimæ lenitatis indulge, nec peccati recipiat vicem: sed indulgentiæ tuæ piam sentiat bonitatem: cumque finito mundi termino, supernum cunctis illuxerit regnum, sanctorum omnium cœtibus aggregatus, cum electis tuis resurgat in parte dextera collocandus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

remus.

DEbitum humani corporis sepeliendi officium fidelium more complentes, Deum, cui omnia viuunt, fideliter deprecemur, vt hoc corpus chari nostri, (charæ nostræ) à nobis in infirmitate sepultum, in ordine sanctorum suorum resuscitet: & eius spiritum, Sanctis ac fidelibus suis aggregari iubeat: cum quibus inenarrabili gloria, & perenni felicitate perfrui mereatur. Præstante Domino nostro Iesu Christo. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit & regnat Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Clementissime.

Domine.

Super peccatore.



pro


pro no ſtra mi ſe ri a ab im-
pi o rum ma ni bus mor tis ſup pli ci um
per tu li ſti : li be ra a nimam
e ius de in fer ni vo ra-
gine: & de mi ni ſtris tarta re is
mi ſe ra tor ab ſolue: & cuncta
e ius pec ca ta o bli ui o ne


perpe tu a de le: e am que ad lu-
cem tu am An ge li tra hant, Pa-
ra di ſi que ia nuam in tro ducant:
Cantores. Vt dum cor puſ cu lum
puſ ue ri tra ditur: Conuentus. Ad
æ ter ni ta tem per ducant. Do mi ne
mi ſe re re re ſuper pec ca to re.

Hic

Hic genuflectitur.



vel pec ca tri ce.

Finita prædicta Antiphona, Sacerdos subiungit

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

SAtisfaciat tibi Domine Deus noster, pro anima famuli tui fratris nostri, (vel famulæ tuæ sororis nostræ,) sanctæ Dei Genitricis, semperque VIRGINIS MARIAE, & beati DOMINICI confessoris tui Patris nostri, omniumque sanctorum tuorum oratio, & præsentis familiæ tuæ humilis, & deuota supplicatio: vt peccatorum omnium veniam, quam precamur obtineat: nec eum, (vel eam) patiaris cruciari gehennalibus flammis, quem (vel quam) Filij tui Domini nostri Iesu Christi pretioso sanguine redemisti. Per Christum.

Oratio.

DEus, cuius miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis & famulabus tuis omnibus, hìc, & vbique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum: vt à cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Hac Oratione finita, Cantor incipiat **Psalm. Miserere**: hoc modo.



Et Fratres ipsum prosequendo, reuertantur in Chorum eo ordine, quo venerunt: ita tamen vt illi quatuor, qui corpus portauerunt, post Conuentum immediatè sequantur in vtroque Choro, hinc & inde: & post eos sequatur Diaconus, & post eum Sacerdos. Cum autem ad Chorum peruenerint, alijs euntibus ad loca sua, & stolas, ac libellos deponentibus, Sacerdos ante gradus Presbyterij eat, & iuxta eum ad dexteram Diaconus, & Subdiaconus ad sinistram: deinde illi quatuor, qui corpus portauerunt, duo hinc, & duo inde, & iuxta eos Acolythi, hinc, & inde: & iuxta Acolythos, illi qui aquam, & thuribulum portauerunt similiter hinc, & inde: Finito Psalm. **Miserere**. & terminato per **Requiem æternam**: Conuentus prosternat se super formas, & Sacerdos cum cæteris, qui ibi sunt, prosternat se super gradus Presbyterij, & dicto **Requiem**, absque **Kyrie eleison** dicant omnes in silentio, **Pater noster**, quo finito Sacerdos erectus solus

lui dicatâ voce: **Et ne nos inducas.** ℟. **Sed libera nos à malo.** ℣. **In memoria æterna erunt iusti.** ℟. **Ab auditione mala non timebunt.** ℣. **Domine exaudi orationem meam.** ℟. **Et clamor meus ad te veniat.** ℣. **Dominus vobiscum.** ℟. **Et cum spiritu tuo.**

Oremus.

ABsolue Domine animam famuli tui, (vel famulæ tuæ) & animas famulorum, famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum: vt in resurrectionis gloria inter Sanctos, & electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dñm nostrum. ℟. **Amen.** ℣. **Requiescant in pace.** ℟. **Amen.**

Deinde Sacerdos prosternat se vt prius: & omnes dicant in silentio, **Pater noster,** & in loco [illegible] finem fingant.

Quod si aliqua Hora immediatè [illegible] fuerit, dicto **Requiescant in pace,** fiat signum à Præsule, & dicto **Pater noster,** incipietur Hora.

Quæ circa sepulturam fratris notata sunt, vbi commode non possunt seruari plenarie propter paucitatem fratrum, minuatur de solemnitate notata: & fiat prout [illegible] videbitur faciendum.

Hæc eadem fiat circa sepulturam extraneorum, siue pauci, siue multi fratres, vbi consuetum est ex eo quod ad eorum corpora deferenda, non ponantur fratres: & quod Antiphona prædicta, videlicet, **Clementissime,** non canetur nisi in casu pro aliquibus personis, quibus Ordo magis tenetur, cum spe-

 Petitiones faciendæ infirmo morienti.

cialis deuotio id magis requirit: quod tamen non est facile faciendum.

Quando igitur prædicta Antiphona non cantatur, finita Oratione, Debitum, &c. dicat Sacerdos alta voce, Pater noster.

Quo audito, intermissis his, quæ dicebantur, omnes in silentio illud dicant, & Sacerdos eo finito, alta voce subiungat. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio. Satisfaciat tibi, &c. vt supra notata sunt. pag. 323.

DE COMMENDATIONE ANIMAE pro sæcularibus personis.

SOlent frequenter à personis sæcularibus ex deuotione aduocari fratres, vt assistant morientibus. Ideoque fratres taliter aduocati, poterunt in tali tempore infrascriptam formam seruare, vel aliam vt eis visum fuerit. Et primo ingredientes cameram infirmi dicant: Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea. Postea accedentes ad infirmum, cum benignè salutent, & consolentur. Et si viderint eum morti proximum, si adhuc sit capax rationis, hortentur eum ad plenam subiectionem sui ipsius diuinæ bonitati, & voluntati. Et cum viderint eum paratum ad moriendum: vnus eorum, qui fuerit Sacerdos, petat ab eo infrascriptas petitio-

Digitized by Google

sitiones per ordinem morosè, & distinctè, vt eas infirmus percipere possit: videlicet, dicat Sacerdos:

Credis frater chariſſime omnes articulos fidei, & totam ſacram Scripturam ſecundum expoſitionem ſanctorum Doctorum, & catholicorum?

Reſpondeat infirmus. Credo. Sacerdos.

Deteſtaris tu, & reprobas omnes hæreſes & ſuperſtitiones à ſancta matre Eccleſia damnatas, & reprobatas?

Reſpondeat infirmus. Reprobo. Sacerdos.

Gaudes mori in fide Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Reſpondeat infirmus. Gaudeo. Sacerdos.

Cognoſcis te multum offendiſſe Dominum Deum creatorem tuum: à quo tanta beneficia recepiſti, & à quo habes quidquid boni habes?

Reſpondeat infirmus. Cognoſco. Sacerdos.

Doles ex corde de omni offenſa contra Dominum Deum, & te ipſum, & proximum tuum qualitercumque commiſſa?

Reſpondeat infirmus. Doleo. Sacerdos.

Doles de omni negligentia & omiſſione bene operandi, & de contemptu gratiarum à Domino Deo tibi datarum?

Reſpondeat infirmus. Doleo. Sacerdos.

Doles de hoc, non timore mortis, vel cuiuſcumque pœnæ: ſed ſolum ex conſideratione offenſæ diuinæ bonitatis, quam offendiſti?

Reſpondeat infirmus. Doleo. Sacerdos

Deſideras recordari omnium peccatorum tuorum ob-

Digitized by Google

litorum, vt de ipsis habere possis specialem contritionem, dolorem, & pœnitentiam?

Respondeat infirmus. Desidero. Sacerdos.

Proponis de cætero, si Deo placuerit te de hac ægritudine sanare, deinceps toto tempore vitæ tuæ cauere à peccatis mortalibus, & vitam tuam mutare, potius quodcumque damnum temporale, & corporalem mortem substinere, quam de cætero Deum per peccatum mortale offendere?

Respondeat infirmus. Propono. Sacerdos.

Rogas Deum, vt te in hoc sancto proposito conseruet?

Respondeat infirmus. Rogo. Sacerdos.

Parcis omnibus inimicis tuis, qui verbo, vel facto tibi, vel tuis in aliquo nocuerunt, amore Dei tui, à quo etiam tu veniam tuorum peccatorum petis: & hoc non solum verbo, sed corde, & firma voluntate?

Respondeat infirmus. Parco. Sacerdos.

Vis omnia integrè restituere illis, à quibus acquisiuisses, recepisses, vel habuisses, per te, vel per alios iniustè, & indebito modo: & pro hoc totam facultatem tuam, si aliter satisfacere non posses, exponere, & eidem renunciare?

Respondeat infirmus. Volo, & paratus sum. Sacerdos.

Credis, non proprijs meritis, sed passionis Domini nostri Iesu Christi virtute, & meritò ad gloriam peruenire?

Respondeat infirmus. Credo. Sacerdos.

Credis, quod Dominus noster Iesus Christus pro nostra

tra ſalute mortuus ſit: & quod ex proprijs meritis, vel alio modo nullus poſſit ſaluari, niſi in merito paſſionis eius?

Reſpondeat infirmus. Credo. Sacerdos.

Redde ei gratias toto corde quantum potes, & te ipſius paſſioni recommenda, & ipſam corde cogita, & ore quantum potes nomina.

Reſpondeat infirmus. Reddo. Sacerdos.

Doles, quod non potes recordari de omnibus peccatis tuis, quibus Deum offendiſti in quocumque loco, & cum qualicumque perſona: quæ ſi recordareris, confitereris integraliter?

Reſpondeat infirmus: Doleo. Sacerdos.

Doles, quod poſtquam veniam de peccatis tuis à Domino Deo conſecutus es, & recidiuans reuerſus es ad eadem, vel ſimilia, vel maiora peccata.

Reſpondeat infirmus: Doleo. Sacerdos.

Si occurrerit tibi Diabolus, ei ſemper oppone merita paſſionis Chriſti.

Reſpondeat infirmus. Opponam. Sacerdos.

Si tentauerit de fide, dicas te omnia credere, & confiteri, quæ credit, & confitetur ſancta, catholica, & Apoſtolica Eccleſia.

Reſpondeat infirmus. Dicam. Sacerdos.

Si Dominus Deus voluerit te ſecundum tua peccata iudicare, dicas: Domine Deus, ego pono mortem Domini mei Ieſu Chriſti inter me & iudicium tuum: & quamuis meruerim æternam mortem propter pec-

cata

cata mea: interpono tamen meritum passionis eiusdem loco meriti, quod ego miser deberem habere, & non habeo. Item Domine pono eandem passionem, & mortem Domini mei Iesu Christi inter me, & iram tuam, & in manus tuas Domine commendo spiritum meum. Respondeat infirmus: Dicam.

Finitis prædictis petitionibus, cum cœperit in agone mortis infirmus certare, poterunt ei prius legi infrapositæ Passiones omnes, vel aliquæ ipsarum, sicut necesse fuerit: & etiam repeti si tempus adsit. Et cum viderint Infirmum signis euidentibus morti proximum, intermittentes passiones, faciant commendationem animæ, vt infra notatum est post Passiones.

Priùs tamen infirmus poterit facere sequentes protestationes contra diabolicas tentationes vtilissimas; si integro adhuc est iudicio. Prima Protestatio.

IN nomine sanctissimæ Trinitatis, Patris, † & Filij, † & Spiritus † sancti. Ego N. protestor coram te sanctissime Angele Dei, diuina pietate, ex vtero matris mihi commisso, & coram te patre meo N. & coram omnibus vobis circumstantibus, quod in ea vera fide Catholica, quam sancta Romana, & Apostolica profitetur Ecclesia, & in qua omnes decesserunt Sancti, mori desidero, & volo: nec ad momentum temporis diutius viuere affecto, nisi quantum diuinæ placuerit pietati, cui in omnibus conformiter meam subijcio voluntatem. Secunda protestatio.

Item protestor, quod sub tua Angelica protectione,

ne, & adiutorio diuinæ gratiæ discedam, & sic mori intendo absque vlla desperatione, & fidei dubitatione: ita quod neque magnitudo, nec numerus meorum peccaminum in barathrum desperationis me immergere debent: cum sciam, & veraciter credam, vnam Deifici sui sanguinis guttam in ara crucis effusam, sufficisse in redemptionem totius humani generis, si ita placitum fuisset diuinæ pietati.

Tertia protestatio.

Protestor, quod in casu, quo ex pusillanimitate spiritus propter tremendum diuinum iudicium, cui astare debeo: aut dæmonis tentatione, seu debilitate rationis (quod Deus auertat) in aliquam inciderem desperationem, aut fidei dubitationem: hoc ipsum pro nunc sana mente existens reuoco, cassо, & pro non tali facto habere volo, eo quod non animo sano, & deliberato hoc ipsum eueniet, submittens me totaliter diuinæ pietati.

Quarta protestatio.

Protestor etiam, quod cum diuina misericordia nulli peccatori contrito, & confesso, eamque desideranti in remissionem suorum peccaminum denegetur, quod eandem misericordiam, & remissionem mihi impartiri velit, quam toto corde desidero, & peto illam consequi per merita amarissimæ mortis Christi, & per virtutem pretiosissimi sanguinis sui pro me effusi in ligno sanctissimæ Crucis suæ, & per merita, & preces sanctissimæ suæ Matris, & omnium sanctorum Angelorum, & electorum.

Quin-

Quinta protestatio.

Protestor etiam super hanc petitionem humili prece porrectam: vt diuina pietas me suscipere velit in numerum eorum hominum, quos ab æterno præordinauit in extremo iudicio esse saluandos, si & inquantum pro meis peccatis exigentibus, tam diu pœnas purgatorij sustinere debeam, dummodo in æternum non secludar à sua pietate.

Sexta protestatio.

His protestationibus præmissis, sanctissime Angele Dei, tibi extremam meam voluntatem, & affectionem pro testamento animæ meæ commendo, vt tria mihi ex testamento Saluatoris impartiri digneris. Primo, vnum lacrymosum intuitum, & dolorosum suspitium ex innumeris doloribus, quos in cruce pendens tribus horis viuus habuit, ad mitigandum dolores meos, singultus, & gemitus, & suspiria, quibus nunc premor: Et vt ipsa mater omnis gratiæ mecum condiuidere velit vnicum cordis sui virginei gemitum, doloroſumque suspirium, ac lacrymosum intuitum, ex innumeris, quos sub cruce stando, suspirijs, & lacrymis habuit, Filium redemptorem humani generis intuendo: suscipiendo me in numerum eorum peccatorum, qui veniam, & salutem à Domino in extremo iudicio per sua sanctissima merita, & preces consequuntur.

Secundò succurrat tua angelica pietas, vt quando miserum cor meum scindetur, & anima mea misera à corpore separabitur: tunc inueniam placabilem iudi-

cem,

cem, intuitu illius diuinæ charitatis, in qua amoroſum cor ſuum ſcindebatur in cruce pro ſalute mundi,& ſua diuiniſſima anima à diuiniſſimo corpore ſeparabatur.

Vltimò ſanctiſſime Angele Dei, commendo tibi extremam horam vitæ meæ, & exitum animæ meæ, gubernando, & ab hoſtibus ſalutis me protegendo, & vt ſuper has proteſtationes velis eſſe, vbi & quoties opus fuerit, contra omnia pericula ſalutis, fidelis teſtis, & protector. Cum homo eſt in agonia mortis, legendæ ſunt ſequentes orationes.

In primis dicatur Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. & Aue Maria. Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, per agoniam, & orationem tuam ſanctiſſimam, qua orafti pro nobis in monte Oliueti, quando factus eſt ſudor ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram: obſecro te, vt multitudinem ſudoris tui ſanguinei, quem præ timoris tui anguſtia copioſiſſime pro nobis effudiſti: offerre, & oſtendere digneris Deo Patri omnipotenti, contra multitudinem omnium peccatorum huius famuli tui.(vel famulæ tuæ:) & libera eum, (eam) in hac hora mortis ſuæ ab omnibus anguſtijs ſuis,quas pro peccatis ſuis ſe timet meruiſſe. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuis &c.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Secundo. Pater noſter. Aue Maria. Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte,qui pro nobis mori dignatus es in cruce: obſecro te, vt omnes amaritudines

dines passionum, & pœnarum tuarum, quas pro nobis miseris peccatoribus sustinuisti in cruce, & maxime in illa hora, quando sanctissima anima tua egressa est de corpore tuo sanctissimo, offerre, & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima huius famuli tui, (vel famulæ tuæ,) et libera eam in hac hora mortis ab omnibus peccatis, et passionibus, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre, et Spiritu sancto viuis, et regnas.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Tertium Pater noster. Aue Maria. Oratio.

DOmine Iesu Christe, qui per os Prophetæ dixisti: In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui: obsecro te, vt eandem charitatem tuam, quæ de cœlo ad terram, ad tolerandas omnium passionum tuarum amaritudines te attraxit, offerre, et ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima huius famuli tui, (vel famulæ tuæ,) et libera eam ab omnibus passionibus, et pœnis, quas pro peccatis suis timet se meruisse, et salua animam eius in hac hora exitus sui in gloria æterna: et tu pijssime Domine Iesu Christe, qui redemisti nos pretiosissimo sanguine tuo: miserere animæ huius famuli tui, (vel famulæ tuæ,) et eam introducere digneris ad semper virentia, et amœna loca paradisi, vt viuat tibi amore inuisibili, qui à te, et ab electis tuis separari numquam potest. Qui cum Patre, et Spiritu sancto viuit, et regnat, &c.

Postea

Postea si adhuc vixerit, subiungendæ sunt infrascriptæ Orationes, cum totidem Aue Maria.

Orationes ad B. gloriosamque Dei Genitricem Virginem Mariam. Prima Oratio.

MEdiatrix Dei, et hominum, et fons misericordiæ, indesinenter effundens riuos copiosæ gratiæ, Maria, te rogo dulcissima mater Domini nostri Iesu Christi: per illam perturbationem, quam habuisti in corde tuo pijssimo, tunc et deinceps, cum Simeon sanctus, et senex, prophetando diceret: Tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt petas, quatenus idem benedictus Filius tuus de largissima clementia sua donet huic famulo tuo per eandem perturbationem tuam, indulgentiam omnium peccatorum suorum. Et vt me, et eum liberet ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, et futuris. Amen. Aue Maria.

Secunda Oratio.

AVxiliatrix Dei, et hominum, et pacis æternæ condimentum Maria: te interpello speciosissima regina cœli, per illam dolorosam perturbationem, quam habuisti in corde tuo benignissimo pro eo, quod Filium tuum amantissimum per triduum amiseras, vt roges eum, quatenus ipse propter eandem turbationem tuam, huic famulo tuo dignetur dare plenam cognitionem, perfectam contritionem, puram confessionem, spem firmam, certam securitatem à Deo numquam separandi, et ita perfectum, et verum amorem: vt cum illo amore tantam mereatur mercedem in cæ-

lo

lo acquirere, ac ſi ei multis annis cum perfectione ſanctiſſimæ vitæ diligentiùs ſeruiſſet. Amen. Aue Maria.

Tertia Oratio.

REparatrix debilium, & vulneratæ animæ efficaciſſima medicina Maria, te peto glorioſa Domina, per illam perturbationem, quam habuiſti in corde tuo clementiſſimo, pro eo quod perfidi Iudæi captiuauerunt, & detinuerunt deſiderabilem vnigenitum vteri tui Filium, de quo cogitauiſti in ſpiritu, quod volebat, & quod pati debebat pro ſalute humani generis, quatenus deprecceris eundem Filium propitiatorem ſæculi, vt ipſe propter eandem turbationem tuam de omni captiuitate, & ab omni tribulatione corporis, & animæ anguſtiarum, & periculorum, & tentationibus dæmonum, famulum tuum clementer eripiat, et ab omnibus malis in perpetuum tueatur. Amen. Aue Maria.

Quarta Oratio.

ILluminatrix cæcorum, et lucerna ſalutiferæ gratiæ, Maria: te flagito, dulciſſima bona mater Dei, per illam turbationem tuam, quam habuiſti in corde tuo pijſſimo, pro eo, quod amantiſſimus Filius tuus à Iudæis crudeliſſimis in conſpectu tuo cum clauis acutiſſimis, abſque vlla miſeratione, viuificæ Crucis patibulo fuit affixus: vt poſtules ab eodem Filio tuo, quatenus per eandem turbationem tuam ignem veri amoris, per ignem amoris, et paſſionis ſuæ in corde huius famuli tui accendat: qua ipſe ſummus Sacerdos ligno

Cru-

Digitized by Google

Crucis ipſum ſubijciat, nutriat, & in altari cordis eius iugiter ardeat, & flammeſcat, in commemoratione ſuæ ſanctiſſimæ paſſionis, & mortis: vt eiuſdem ſacratiſſimæ paſſionis ſuæ numquam obliuiſcatur. Et ſi ex infirmitate valida, vel ex alia cauſa quacumque impediente, memor eſſe nequiuerit, per eundem acerbæ paſſionis ſuæ dolorem, in hora mortis ſuæ ex multiplici miſericordia ſua, tantam mercedem in cælis percipere mereatur, ac ſi omnes dies ſuos conſumpſiſſet in memoria ſuæ ſacratiſſimæ paſſionis. Amen. Aue Maria.

Quinta Oratio.

ADuocatrix omnium peccatorum, quos damnabiliter moles vitiorum deprimit, finiſque noſtræ miſeriæ Maria, te deprecor venerabiliſſima mundi Domina, per illam intolerabilem turbationem, quam habuiſti in corde tuo benigniſſimo: in illa hora, cum Filius tuus cunctis deſideratus gentibus, ac omnibus verè amabilis de Cruce depoſitus, cum recentibus vulneribus, & proprio ſanguine rubricatus, datus fuit à Ioſeph in ſinum tuum, qui eſt corona iucunditatis omnium beatorum in cæli ſolio; vt propter eandem perturbationem tuam, ipſe famulum ſuum præuenire dignetur abundantia gratiarum ſuarum, & copioſæ miſericordiæ ſuæ, vt det corpus ſuum, & animam ſuam in poteſtatem tuam, & in ſinum pijſſimæ miſericordiæ tuæ, quam cunctis deuotè poſtulantibus clementer aperis in

æternum. Et ad illud ſignum gemebundum ſic eum recipi affectuoſiſſimè deprecor, propter illum dulciſſimum infantulum tuum candidum, & rubicundum electum ex millibus, qui theſaurus totius fœlicitatis tuæ extitit, & eſt, quem in ſinu tuo delicatiſſimo proprijs lactaſti vberibus: vt in præſenti vita, & præcipuè in extremis ſuis te videre mereatur cum gaudio, & tuæ miſerationi regratiari valeat in ſæcula ſæculorum. Amen. Aue Maria.

Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundùm Matthæum. *Cap.26.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ✝ Scitis, quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur, vt crucifigatur. ℭ Tunc congregati ſunt principes Sacerdotum, & ſeniores populi in atrium principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & conſilium fecerunt, vt Ieſum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem: ℣ Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo. ℭ Cum autem Ieſus eſſet in Bethania in domo Simonis leproſi, acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt, dicentes: ℣ Vt quid perditio hæc? Potuit enim iſtud venundari multo, & dari pauperibus. ℭ Sciens autem Ieſus, ait illis: ✝ Quid moleſti eſtis huic mulieri? Opus enim bonum operata eſt in me. Nam ſemper pau-

peres

peres habetis vobiſcum : me autem non ſemper habetis. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum : ad ſepeliendum me fecit. Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius. ℣ Tunc abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad principes Sacerdotum ; & ait illis : ℟ Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? ℣ At illi conſtituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem, vt eum traderet. Prima autem die Azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes : ℟ Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha? ℣ At Ieſus dixit : ✠ Ite in ciuitatem ad quemdam, & dicite ei : Magiſter dicit : Tempus meum propè eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis. ℣ Et fecerunt diſcipuli ſicut conſtituit illis Ieſus, & paraverunt Paſcha. Veſperè autem facto, diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis. Et edentibus illis dixit : ✠ Amen dico vobis, quia vnus veſtrùm me traditurus eſt. ℣ Et contriſtati valdè, cœperunt ſinguli dicere : ℟ Numquid ego ſum Domine? ℣ At ipſe reſpondens, ait : ✠ Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo. Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur. Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. ℣ Reſpondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit : ℟ Numquid ego ſum Rabbi? ℣ Ait illi : ✠ Tu dixi-

dixisti. ℣ Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: ✝ Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum. ℣ Et accipiens calicem, gratias egit: & dedit illis, dicens: ✝ Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei. ℣ Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti. Tunc dicit illis Iesus: ✝ Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. ℣ Respondens autem Petrus, ait illi: ℟ Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor. ℣ Ait illi Iesus: ✝ Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. ℣ Ait illi Petrus: ℟ Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. ℣ Similiter & omnes discipuli dixerunt. Tunc venit Iesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis: ✝ Sedete hic donec vadam illuc, & orem. ℣ Et assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit contristari & mœstus esse. Tunc ait illis: ✝ Tristis est anima mea vsque ad mortem: Sustinete hic, & vigilate mecum. ℣ Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, & dicens: ✝ Pater mi, si

pos-

Digitized by Google

possibile est, transeat à me calix iste : Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. ℣ Et venit ad discipulos suos, et inuenit eos dormientes, et dicit Petro: † Sic Non potuistis vna hora vigilare mecum? Vigilate, et orate vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. ℣ Iterum secundò abijt, et orauit, dicens: † Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. ℣ Et venit iterum, et inuenit eos dormientes: erant enim oculi eorum grauati. Et relictis illis, iterum abijt, et orauit tertiò, eumdem sermonem dicens. Tunc venit ad discipulos suos, et dicit illis: † Dormite iam, et requiescit: Eccè appropinquauit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce appropinquauit qui me tradet. ℣ Adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit, et cum eo turba multa cum gladijs et fustibus, missi à principibus Sacerdotum, et senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: S Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. ℣ Et confestim accedens ad Iesum, dixit: S Aue Rabbi. ℣ Et osculatus est eum. Dixitque illi Iesus: † Amice, ad quid venisti? ℣ Tunc accesserunt, et manus iniecerunt in Iesum, et tenuerunt eum. Et eccè vnus ex his, qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suum, et percutiens seruum principis Sacerdotum, amputauit auriculam eius. Tunc ait illi Iesus: † Conuerte gladium

tuum in locum ſuum. Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri? ℭ In illa hora dixit Ieſus turbis: † Tamquam ad latronem exiſtis cum gladijs, et fuſtibus comprehendere me? Quotidie apud vos ſedebam docens in templo, et non me tenuiſtis. ℭ Hoc autem totum factum eſt, vt adimplerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt. At illi tenentes Ieſum, duxerunt ad Caipham principem Sacerdotum, vbi Scribæ et ſeniores conuenerant. Petrus autem ſequebatur eum à longè, vſque in atrium principis Sacerdotum. Et ingreſſus intro, ſedebat cum miniſtris, vt videret finem. Principes autem Sacerdotum, et omne concilium, quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, vt eum morti traderent: et non inuenerunt, cum multi falſi teſtes acceſſiſſent. Nouiſſimè autem venerunt duo falſi teſtes, et dixerunt: ℣ Hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, et poſt triduum reædificare illud. ℭ Et ſurgens princeps Sacerdotum, ait illi: ℣ Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti aduerſum te teſtificantur? ℭ Ieſus autem tacebat. Et princeps Sacerdotum ait illi: ℣ Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus Filius Dei. ℭ Dicit illi Ieſus: † Tu dixiſti. Veruntamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis ſe-

den-

dentem à dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cæli. ℭ Tunc princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: ℣ Blaſphemauit: Quid adhuc egemus teſtibus? Eccè nunc audiſtis blaſphemiam: Quid vobis videtur? ℭ At illi reſpondentes, dixerunt: ℣ Reus eſt mortis. ℭ Tunc expuerunt in faciem eius, et colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: ℣ Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt, qui te percuſſit? ℭ Petrus verò ſedebat foris in atrio: Et acceſſit ad eum vna ancilla, dicens: ℣ Et tu cum Ieſu Galilæo eras. ℭ At ille negauit coram omnibus, dicens. ℣ Neſcio quid dicis. ℭ Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, et ait his, qui erant ibi: ℣ Et hic erat cum Ieſu Nazareno. ℭ Et iterum negauit cum iuramento: Quia non noui hominem. Et poſt puſillum acceſſerunt qui ſtabant, et dixerunt Petro: ℣ Verè et tu ex illis es: nam et loquela tua manifeſtum te facit. ℭ Tunc cœpit deteſtari, et iurare quia non nouiſſet hominem. Et continuò gallus cantauit. Et recordatus eſt Petrus verbi Ieſu, quod dixerat: Priuſquàm gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras, fleuit amare. Manè autem facto conſilium inierunt omnes principes Sacerdotum, et ſeniores populi aduerſus Ieſum, vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato præſidi. Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet: pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus Sacerdo-

Digitized by

tum & senioribus, dicens. S Peccaui, tradens sanguinem iustum. C At illi dixerunt: S Quid ad nos? Tu videris. C Et proiectis argenteis in templo, recessit: & abiens laqueo se suspendit. Principes autem Sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: S Non licet eos mittere in corbonam: quia pretium sanguinis est. C Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam, dicentem. Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Israel: & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. Iesus autem stetit ante Præsidem, & interrogauit eum Præses, dicens: S Tu es Rex Iudæorum? C Dicit illi Iesus: † Tu dicis. C Et cum accusaretur à principibus Sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: S Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? C Et non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur Præses vehementer. Per diem autem solemnem consueuerat Præses populo dimittere vnum vinctum, quem voluissent. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: S Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Iesum, qui dicitur Christus? C Sciebat enim, quod per inuidiam tradidissent eum. Sedente autem

illo

illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens: ℣ Nihil tibi, & iusto illi. Multa enim passa sum hodie per visum propter eum. ℭ Principes autem Sacerdotum, & seniores persuaserunt populis vt peterent Barabbam, Iesum vero perderent. Respondens autem Præses, ait illis: ℣ Quem vultis vobis de duobus dimitti? ℭ At illi dixerunt: ℣ Barabbam. ℭ Dicit illis Pilatus: ℣ Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? ℭ Dicunt omnes. ℣ Crucifigatur. ℭ Ait illis Præses: ℣ Quid enim mali fecit? ℭ At illi magis clamabant, dicentes: ℣ Crucifigatur. ℭ videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: accepta aqua, lauit manus coram populo, dicens: ℣ Innocens ego sum à sanguine iusti huius: Vos videritis. ℭ Et respondens vniuersus populus, dixit: ℣ Sanguis eius super nos, & super filios nostros. ℭ Tunc dimisit illis Barabbam: Iesum autem flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur. Tunc milites Præsidis suscipientes Iesum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem: Et exeuntes eum, chlamidem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius. Et genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes: ℣ Aue Rex Iudæorum. ℭ Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamide, & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt

xerunt cum vt crucifigerent. Exeuntes autem, inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et cum gustasset, noluit bibere. Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius, sortem mittentes: vt impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem. Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem: Et sedentes, seruabant eum. Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Hic est Iesus Rex Iudæorum. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones: vnus à dextris, & vnus à sinistris. Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes. ℣ Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: salua temetipsum. Si Filius Dei es, descende de cruce. ℭ Similiter & principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & senioribus, dicebant: ℣ Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere: Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: Confidit in Deo: liberet nunc, si vult eum: dixit enim: Quia Filius Dei sum. ℭ Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam. Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicens: ✝ Eli, Eli, lammasabacthani? ℭ Hoc est: ✝ Deus meus,

Deus

Deus meus vt quid dereliquisti me? ℣ Quidam autem illic stantes, & audientes, dicebant: ℟ Eliam vocat iste. ℣ Et continuò currens vnus ex eis, acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cæteri verò dicebant: ℟ Sine, videamus an veniat Elias liberans eum. ℣ Iesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum, Hic pausatur aliquantulum, & genuflectitur. Et eccè velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, viso terræ motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: ℟ Verè Filius Dei erat iste. ℣ Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi. Cùm autem serò factum esset, venit quidam homo diues ab Arimathæa, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu. Hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus. Et accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in sindone munda. Et posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. Et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, & abijt. Erat autem ibi Maria

Magda-

Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum.

ALtera autem die, quæ est post Parasceuen, conuenerunt principes Sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium: ne fortè veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus.

Passio Domini nostri Iesu Christi secundùm Marcum. *Cap.* 14.

IN illo tempore: Erat Pascha & Azyma post biduum: & quærebant summi Sacerdotes, & Scribę quomodo Iesum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem: ℣ Non in die festo: Ne fortè tumultus fieret in populo. ℭ Et cum esset Iesus Bethaniæ in domo Simonis leprosi, & recumberet: venit mulier habens alabastrum vnguenti nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro, effudit super caput eius. Erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos, & dicentes: ℣ Vt quid perditio ista vnguenti facta est? Poterat enim vnguentum istud venundari plusquam trecentis denarijs, & dari pauperibus. ℭ Et fremebant in eam. Iesus autem dixit: † Sinite eam, quid

illi

illi molesti estis ? Bonum opus operata est in me: Semper enim pauperes habetis vobiscum: et cum volueritis, potestis illis benefacere: me autem non semper habetis. Quod habuit hæc, fecit: præuenit vngere corpus meum in sepulturam. Amen dico vobis: vbicumque prædicatum fuerit Euangelium istud in vniuerso mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam eius. ℣ Et Iudas Iscariotes vnus de duodecim abijt ad summos Sacerdotes, vt proderet eum illis. Qui audientes, gauisi sunt: & promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quærebat quomodo illum opportunè traderet. Et primo die Azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: ℟ Quò vis eamus, & paremus tibi vt manduces Pascha? ℣ Et mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis. † Ite in ciuitatem: & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, sequimini eum: & quocumque introierit, dicite domino domus, quia Magister dicit: vbi est refectio mea, vbi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande, stratum: & illic parate nobis. ℣ Et abierunt discipuli eius, & venerunt in ciuitatem: & inuenerunt sicut dixerat illis, & parauerunt Pascha. Vesperè autem facto, venit cum duodecim. Et discumbentibus eis, & manducantibus, ait Iesus: † Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, qui manducat mecum. ℣ At illi cœperunt contristari, & dicere ei singulatim: ℟ Numquid ego? ℣ Qui ait illis: † Vnus ex duo-

duodecim, qui intingit mecum manum in catìno. Et Fìlius quidem hominis vadit ſicut ſcriptum eſt de eo: Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur. Bonum erat ei, ſi non eſſet natus homo ille. ℭ Et manducantibus illis, accepit Ieſus panem: & benedicens, fregit, & dedit eis, & ait: ✝Sumite, Hoc eſt corpus meum. ℭ Et accepto calice, gratias agens dedit eis: Et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur. Amen dico vobis, quia iam non bibam de hoc genimine vitis vſque in diem illum, cùm illud bibam nouum in regno Dei. ℭ Et hymno dicto, exierunt in montem oliuarum. Et ait eis Ieſus. ✝ Omnes ſcandalizabimini in me in nocte iſta: quia ſcriptum eſt: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues. Sed poſtquam reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. ℭ Petrus autem ait illi: ℣Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te: ſed non ego: ℭ Et ait illi Ieſus: ✝ Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priuſquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. ℭ At ille ampliùs loquebatur: ℣ Et ſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo: ℭ Similiter autem & omnes dicebant. Et veniunt in prædium, cui nomen Gethſemani. Et ait diſcipulis ſuis: ✝ Sedete hic donec orem. ℭ Et aſſumit Petrum, & Iacobum, & Ioannem ſecum: & cœpit pauere, & tædere. Et ait illis: ✝ Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: Suſtinete hic, & vigilate. ℭ Et cum proceſſiſſet paulùm,

Digitized by Google

lulùm, procidit ſuper terram: & orabat, vt ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora: & dixit: † Abba Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt: transfer calicem hunc à me, ſed non quod ego volo, ſed quod tu. ℭ Et venit, & inuenit eos dormientes. Et ait Petro: † Simon dormis? Non potuiſti vna hora vigilare? Vigilate, & orate vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro verò infirma. ℭ Et iterum abiens orauit eumdem ſermonem dicens: Et reuerſus, denuò inuenit eos dormientes (erant enim oculi eorum grauati) & ignorabant quid reſponderent ei. Et venit tertiò, & ait illis: † Dormite iam, & requieſcite. Sufficit: Venit hora: Ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus. Ecce qui me tradet, prope eſt. ℭ Et, adhuc eo loquente, venit Iudas Iſcariotes vnus de duodecim, & cum eo turba multa, cum gladijs, & lignis, à ſummis Sacerdotibus, & Scribis, & ſenioribus. Dederat autem traditor eius ſignum eis, dicens: § Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum, & ducite cautè. ℭ Et cùm veniſſet, ſtatim accedens ad eum, ait: § Aue Rabbi: ℭ Et oſculatus eſt eum. At illi manus iniecerunt in eum, & tenuerunt eum. Vnus autem quidam de circumſtantibus educens gladium, percuſſit ſeruum ſummi Sacerdotis: & amputauit illi auriculam. Et reſpondens Ieſus, ait illis: † Tamquam ad latronem exiſtis cum gladijs, & lignis comprehendere me? Quotidie eram apud

vos

vos in templo docens, & non me tenuistis. Sed vt impleantur Scripturæ. ℭ Tunc discipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo: & tenuerunt eum. At ille reiecta sindone, nudus profugit ab eis. Et adduxerunt Iesum ad summum Sacerdotem: & conuenerunt omnes Sacerdotes, & Scribæ, & seniores. Petrus autem à longè secutus est eum vsque intrò in atrium summi Sacerdotis: & sedebat cum ministris ad ignem & calefaciebat se, summi verò Sacerdotes, et omne concilium quærebant aduersus Iesum testimonium, vt eum morti traderent, nec inueniebant. Multi enim testimonium falsum dicebant aduersus eum: et conuenientia testimonia non erant. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant aduersus eum, dicentes: ℣ Quoniam nos audiuimus eum, dicentem: Ego dissoluam templum hoc manu factum, et per triduum aliud non manu factum ædificabo. ℭ Et non erat conueniens testimonium illorum. Et exurgens summus Sacerdos in medium, interrogauit Iesum, dicens: ℣ Non respondes quidquam ad ea, quæ tibi obijciuntur ab his? ℭ Ille autem tacebat, et nihil respondit. Rursum summus Sacerdos interrogabat eum, et dixit ei: ℣ Tu es Christus Filius Dei benedicti? ℭ Iesus autem dixit illi: ✝ Ego sum: Et videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus cæli. ℭ Summus autem Sacerdos scindens vestimenta sua, ait: ℣ Quid

adhuc

adhuc desideramus testes ? Audistis blasphemiam : Quid vobis videtur ? ℭ Qui omnes condemnauerunt eum esse reum mortis. Et cœperunt quidam conspuere eum, et velare faciem eius, et colaphis eum cædere, et dicere ei : ℑ Prophetiza : ℭ Et ministri alapis eum cædebant : Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit vna ex ancillis summi Sacerdotis : et cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait : ℑ Et tu cum Iesu Nazareno eras ? ℭ At ille negauit, dicens : ℑ Neque scio, neque noui quid dicas. ℭ Et exijt foras ante atrium, et gallus cantauit. Rursus autem cùm vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus : Quia hic ex illis est. At ille iterum negauit. Et post pusillum rursus qui astabant, dicebant Petro : ℑ Verè ex illis es : nam et Galilæus es. ℭ Ille autem cœpit anathematizare, et iurare : quia nescio hominem istum, quem dicitis, Et statim gallus iterum cantauit. Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Iesus : Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere. Et confestim manè consilium facientes summi Sacerdotes cum senioribus, et Scribis, et vniuerso concilio, vinctes Iesum, duxerunt, et tradiderunt Pilato. Et interrogauit eum Pilatus : ℑ Tu es Rex Iudæorum ? ℭ At ille respondens, ait illi † Tu dicis : ℭ Et accusabant eum summi Sacerdotes in multis. Pilatus autem rursum interrogauit eum, dicens : ℑ Non respondes quidquam ? Vide in quantis te accusant ;

℣ Iesus autem amplius nihil respondit, ita vt miraretur Pilatus. Per diem autem festum solebat dimittere illis vnum ex vinctis, quemcumque petijssent. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Et cum ascendissет turba, cœpit rogare sicut semper faciebat illis. Pilatus autem respondit eis, et dixit: ℟ Vultis dimittam vobis Regem Iudæorum? ℣ Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum summi Sacerdotes. Pontifices autem concitauerunt turbam, vt magis Barabbam dimitteret eis. Pilatus autem iterum respondens, ait illis: ℟ Quid ergo vultis faciam Regi Iudæorum? ℣ At illi iterum clamauerunt: ℟ Crucifige eum. ℣ Pilatus verò dicebat illis. ℟ Quid enim mali fecit? ℣ At illi magis clamabant: ℟ Crucifige eum. ℣ Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, et tradidit Iesum flagellis cæsum, vt crucifigeretur. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorij, et conuocant totam cohortem, et induunt eum purpura, et imponunt ei plectentes spineam coronam. Et cœperunt salutare eum: ℟ Aue Rex Iudæorum. ℣ Et percutiebant caput eius arundine: et conspuebant eum, et ponentes genua, adorabant eum. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum vestimentis suis: et educunt illum vt crucifigerent eum. Et angariauerunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum venientem de villa, pa-

la, patrem Alexandri, et Rufi, vt tolleret crucem eius. Et perducunt illum in Golgotha locum: quod eſt interpretatum Caluariæ locus. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: et non accepit. Et crucifigentes eum, diuiſerunt veſtimenta eius, mittentes ſortem ſuper eis, quis quid tolleret. Erat autem hora tertia: et crucifixerunt eum. Et erat titulus cauſæ eius inſcriptus: Rex Iudæorum. Et cum eo crucifigunt duos latrones: vnum à dextris, et alium à ſiniſtris eius. Et impleta eſt Scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus eſt. Et prætereuntes blaſphemabant eum mouentes capita ſua, et dicentes; ℣ Vah qui deſtruis templum Dei, et in tribus diebus reædificas, ſaluum fac temetipſum deſcendens de cruce. ℭ Similiter et Summi Sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant: ℣ Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Chriſtus Rex Iſrael deſcendat nunc de cruce, vt videamus, et credamus. ℭ Et qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei. Et facta hora ſexta, tenebræ factæ ſunt per totam terram, vſque in horam nonam. Et hora nona exclamauit Ieſus voce magna, dicens: ✝ Eloi, Eloi, lamma ſabacthani? ℭ Quod eſt interpretatum: ✝ Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? ℭ Et quidam de circumſtantibus audientes, dicebant: ℣ Ecce, Eliam vocat. ℭ Currens autem vnus, et implens ſpongiam aceto, circumponenſque calamo, potum dabat ei, dicens: ℣ Sinite, videamus ſi veniat

Elias ad deponendum eum. ℭ Iesus autem emissa voce magna expirauit. Hic paulsatur aliquantulum, & genuflectitur. Et velum templi scissum est in duo, à summo vsque deorsum. Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: ℣ Verè hic homo Filius Dei erat. ℭ Erant autem et mulieres de longè aspicientes: inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Iacobi minoris, et Ioseph mater, et Salome; et cum esset in Galilæa, sequebantur eum, et ministrabant ei, et aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Ierosolymam.

ET cùm iam serò esset factum, (quia erat Parasceue, quod est ante sabbatum) venit Ioseph ab Arimathæa nobilis decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei, et audacter introiuit ad Pilatum, et petijt corpus Iesu. Pilatus autem mirabatur si iam obijsset. Et accersito Centurione, interrogauit eum si iam mortuus esset. Et cum cognouisset à Centurione, donauit corpus Ioseph. Ioseph autem mercatus sindonem, et deponens eum inuoluit sindone, et posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, et aduoluit lapidem ad ostium monumenti.

Passio Domini nostri Iesu Christi secundùm Lucam. *Cap.* 22.

IN illo tempore: Appropinquabat dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha: et quærebant principes Sacerdotum, et Scribæ, quomodo Iesum interficerent: timebant vero plebem. Intrauit autem

Satanas

Satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim, et abijt, et locutus est cum principibus Sacerdotum, et magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. Et gauisi sunt, et pacti sunt pecuniam illi dare. Et spopondit. Et quærebat opportunitatem, vt traderet illum sine turbis. Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum et Ioannem, dicens: † Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus. ℭ At illi dixerunt: ℟ Vbi vis paremus? ℭ Et dixit ad eos: † Ecce introëuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum, quam intrat, et dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magister: Vbi est diuersorum, vbi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, et ibi parate. ℭ Euntes autem inuenerunt sicut dixit illis, et parauerunt Pascha. Et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis: † Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. ℭ Et accepto calice, gratias egit, et dixit: † Accipite, et diuidite inter vos. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. ℭ Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: † Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. ℭ Similiter et calicem, post-

Digitized by Google

quam cœnauit, dicens: † Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur. Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa. Et quidem Filius hominis, ſecundùm quod definitum eſt, vadit: veruntamen væ homini illi, per quem tradetur. ℭ Et ipſi cœperunt quærere inter ſe, quis eſſet ex eis, qui hoc facturus eſſet. Facta eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior. Dixit autem eis. † Reges Gentium dominantur eorum: et qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic: ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat: vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo: & ſedeatis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael. ℭ Ait autem Dominus: † Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret ſicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. ℭ Qui dixit ei: ℟ Domine, tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire. ℭ At ille dixit; † Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me. ℭ Et dixit eis: † Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid

defuit vobis? ℣ At illi dixerunt: ℟ Nihil. ℣ Dixit ergo eis: ✝ Sed nunc, qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram: Et qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod ſcriptum eſt, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus eſt. Etenim ea, quæ ſunt de me, finem habent. ℣ At illi dixerunt: ℟ Domine, ecce duo gladij hic. ℣ At ille dixit eis: ✝ Satis eſt. ℣ Et egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in montem Oliuarum. Secuti ſunt autem illum et diſcipuli. Et cum peruenisſet ad locum, dixit illis: ✝ Orate ne intretis in tentationem. ℣ Et ipſe auulſus eſt ab eis quantum iactus eſt lapidis: et poſitis genibus orabat, dicens: ✝ Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me: Verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat. ℣ Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Et cum ſurrexiſſet ab oratione, et veniſſet ad diſcipulos ſuos, inuenit eos dormientes præ triſtitia. Et ait illis: ✝ Quid dormitis? Surgite, orate, ne intretis in tentationem. ℣ Adhuc eo loquente, ecce turba: et qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos: et appropinquauit Ieſu vt oſcularetur eum. Ieſus autem dixit illi: ✝ Iuda, oſculo filium hominis tradis? ℣ Videntes autem hi, qui circa ipſum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: ℟ Domine, ſi percutimus in gladio? ℣ Et percuſſit vnus ex illis ſeruum principis Sacerdotum,

dotum, et amputauit auriculam eius dexteram. Respondens autem Iesus, ait: † Sinite vsque huc. ℭ Et cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum. Dixit autem Iesus ad eos, qui venerant ad se, principes Sacerdotum, et magistratus templi, et seniores. † Quasi ad latronem existis cum gladijs, et fustibus? Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me: Sed hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum. ℭ Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis Sacerdotum: Petrus vero sequebatur à longè. Accenso autem igne in medio atrij, et circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, et eum fuisset intuita, dixit: ℣ Et hic cum illo erat. ℭ At ille negauit eum, dicens: ℣ Mulier, non noui illum. ℭ Et post pusillum alius videns eum, dixit: ℣ Et tu de illis es. ℭ Petrus vero ait: ℣ O homo, non sum. ℭ Et interuallo facto quasi horæ vnius, alius quidam affirmabat, dicens: ℣ Verè et hic cum illo erat: Nam et Galilæus est. ℭ Et ait Petrus: ℣ Homo nescio quid dicis. ℭ Et continuò adhuc illo loquente cantauit gallus. Et conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras Petrus fleuit amare. Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. Et velauerunt eum, et percutiebant faciem eius: et interrogabant eum, dicentes: ℣ Prophetiza, quis est, qui te per-

percussit? ℭ Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. Et vt factus est dies, conuenerunt seniores plebis, et principes Sacerdotum, et Scribæ, et duxerunt illum in concilium suum, dicentes: ℟ Si tu es Christus, dic nobis. ℭ Et ait illis: ✝ Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem et interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. ℭ Dixerunt autem omnes: ℟ Tu ergo es Filius Dei? ℭ Qui ait: ✝ Vos dicitis, quia ego sum. ℭ At illi dixerunt: ℟ Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audiuimus de ore eius. ℭ Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accusare, dicentes. ℟ Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari, et dicentem se Christum Regem esse. ℭ Pilatus autem interrogauit eum, dicens: ℟ Tu es Rex Iudæorum? ℭ At ille respondens, ait: ✝ Tu dicis. ℭ Ait autem Pilatus ad principes Sacerdotum et turbas: ℟ Nihil inuenio causæ in hoc homine. ℭ At illi inualescebant, dicentes: ℟ Commouet populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc. ℭ Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset. Et vt cognouit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Ierosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso Iesu, gauisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum; eò quod audierat multa de eo, et spe-

Digitized by Google

et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem principes Sacerdotum, et Scribæ constanter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo: et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad inuicem. Pilatus autem conuocatis principibus Sacerdotum, et magistratibus, et plebe, dixit ad illos. ℣ Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inueni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes: Nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam? ℭ Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, vnum. Exclamauit autem simul vniuersa turba, dicens. ℣ Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam. ℭ Qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate et homicidium, missus in carcerem. Iterùm autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Iesum. At illi succlamabant, dicentes: ℣ Crucifige, crucifige eum. ℭ Ille autem tertio dixit ad illos. ℣ Quid enim mali fecit iste? Nullam causam mortis inuenio in eo: Corripiam ergo illum, et dimittam. ℭ At illi instabant vocibus magnis postulantes vt crucifigeretur. Et inualescebant voces eorum. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum, qui propter

Digitized by Google

ter homicidium, & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant, Iesum verò tradidit voluntati eorum. Et cùm ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem venientem de villa: & imposuerunt illi Crucem portare post Iesum. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum: quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas Iesus, dixit: † Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos. Et collibus: Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? ℭ Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur. Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum: & latrones, vnum à dextris, & alterum à sinistris. Iesus autem dicebat: † Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. ℭ Diuidentes verò vestimenta eius, miserunt sortes. Et stabat populus spectans, & deridebant eum principes cum eis, dicentes: § Alios saluos fecit: se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus. ℭ Illudebant autem ei, & milites accedentes, & acetum offerentes ei, & dicentes: § Si tu es Rex Iudæorum, saluum te fac. ℭ Erat autem & superscriptio scripta super eum literis Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic est Rex Iudæorum. Vnus autem de his, qui

pen-

pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens: S Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos. C Respondens autem alter, increpabat eum, dicens: ℣ Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum. C Et dixit illi Iesus: ℣ Amen dico tibi: hodie mecum eris in Paradiso. C Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonam. Et obscuratus est sol: Et velum templi scissum est medium. Et clamans voce magna Iesus, ait: ℣ Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. C Et hæc dicens, expirauit. Hic paulsatur aliquantulum, & genuflectitur. Videns autem Centurio, quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: S Verè hic homo iustus erat. C Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur. Stabant autem omnes noti eius à longè: & mulieres, quæ secutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes.

ET ecce, vir nomine Ioseph, qui erat Decurio, vir bonus, & iustus: (hic non consenserat consilio, & actibus eorum) ab Arimathæa ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipse regnum Dei. Hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu: Et depositum inuoluit sindone, et posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat:

Passio Domini nostri Iesu Christi secundùm Ioannem. Cap. 18.

IN illo tempore. Egressus est Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse, & discipuli eius. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cùm accepisset cohortem, & à Pontificibus, & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis. Iesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis: ✝ Quem quæritis? ℣ Responderunt ei: ℟ Iesum Nazarenum. ℣ Dicit eis Iesus: ✝ Ego sum. ℣ Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. Vt ergo dixit eis: Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterùm ergo interrogauit eos: ✝ Quem quæritis? ℣ Illi autem dixerunt: ℟ Iesum Nazarenum. ℣ Respondit Iesus: ✝ Dixi vobis, quia ego sum: Si ergo me quæritis, sinite hos abire. ℣ Vt impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum: & percussit Pontificis seruum: & abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen seruo, Malchus. Dixit ergo Iesus Petro: ✝ Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? ℣ Cohors ergo, & Tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum: et adduxerunt eum ad Annam pri-

primùm, erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius: Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudæis: quia expedit, vnum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici, et introiuit cum Iesu in atrium Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici, et dixit ostiariæ: et introduxit Petrum. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: S Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? C dicit ille: S Non sum. C Stabant autem serui, et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se: Erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se: Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, et de doctrina eius. Respondit ei Iesus: † Ego palam locutus sum mundo: Ego semper docui in synagoga, et in templo, quò omnes Iudæi conueniunt: et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt, quid locutus sim ipsis: Ecce hi sciunt, quæ dixerim ego. C Hæc autem cùm dixisset, vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: S Sic respondes Pontifici? C Respondit ei Iesus: † Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? C Et misit eum Annas ligatum, ad Caipham Pontificem. Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. Dixerunt ergo ei: S Numquid et tu ex discipulis eius es? C Negauit ille, et dixit: S Non sum. C Dicit ei vnus ex ser-

uis

uis Pontificis,cognatus eius, cuius abſcidit Petrus auriculam: S Nonne ego te vidi in horto cum illo? C Iterùm ergo negauit Petrus: & ſtatim gallus cantauit. Adducunt ergo Ieſum à Caipha in prætorium. Erat autem manè: Et ipſi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: S Quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc? C Reſponderunt, & dixerunt ei: S Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum. C Dixit ergo eis Pilatus: S Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum. C Dixerunt ergo ei Iudæi: S Nobis non licet interficere quemquam. C Vt ſermo Ieſu impleretur, quem dixit: ſignificans qua morte eſſet moriturus. Introiuit ergo iterùm in prætorium Pilatus, & vocauit Ieſum, & dixit ei: S Tu es Rex Iudæorum? C Reſpondit Ieſus: † A temetipſo hoc dicis,an alij dixerũt tibi de me? C Reſpondit Pilatus: S Numquid ego Iudæus ſum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi: Quid feciſti? C Reſpondit Ieſus: † Regnum meum non eſt de hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent,vt non traderer Iudæis:nunc autem regnum meum non eſt hinc. C Dixit itaque ei Pilatus: S Ergo Rex es tu? C Reſpondit Ieſus: † Tu dicis,quia Rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati: Omnis,qui eſt ex veritate,audit vocem meam. C Dicit ei

Pila-

Pilatus. S Quid est veritas? C Et cùm hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos, & dicit eis: S Ego nullam inuenio in eo causam. Est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha: Vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorum? C Clamauerunt ergo rursum omnes, dicentes: S Non hunc, sed Barabbam. C Erat autem Barabbas latro. Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius: & veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: S Aue Rex Iudæorum: C Et dabant ei alapas. Exiuit ergo iterùm Pilatus foras, & dicit eis: S Ecce adduco vobis eum foras: vt cognoscatis, quia nullam inuenio in eo causam. C (Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum): Et dicit eis: S Ecce homo. C Cùm ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant, dicentes: S Crucifige, crucifige eum. C Dicit eis Pilatus: S Accipite eum vos, & crucifigite: Ego enim non inuenio in eo causam. C Responderunt ei Iudæi: S Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori: quia filium Dei se fecit. C Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum: & dixit ad Iesum: S Vnde es tu? C Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: S Mihi non loqueris? Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? C Respondit Iesus: S Non haberes potestatem aduersum

uerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. ℣ Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant, dicentes: ℟ Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Omnis enim qui ſe regem facit, contradicit Cæſari. ℣ Pilatus autem cùm audiſſet hos ſermones, adduxit foras Ieſum, et ſedit pro tribunali, in loco, qui dicitur Lithoſtrotos, Hebraicè autem Gabbatha. Erat autem paraſceue Paſchæ, hora quaſi ſexta, & dicit Iudæis: ℟ Ecce Rex veſter. ℣ Illi autem clamabant: ℟ Tolle, tolle, crucifige eum. ℣ Dicit eis Pilatus: ℟ Regem veſtrum crucifigam? ℣ Reſpondерunt Pontifices: ℟ Non habemus regem, niſi Cæſarem. ℣ Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur. Suſceperunt autem Ieſum, & eduxerunt. Et baiulans ſibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum, Hebraicè autem Golgotha: vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc, & hinc, medium autem Ieſum. Scripſit autem & titulum Pilatus: & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus, Rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt: quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus eſt Ieſus: Et erat ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: ℟ Noli ſcribere, Rex Iudæorum: ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Iudæorum. ℣ Reſpondit Pilatus: ℟ Quod ſcripſi, ſcripſi. ℣ Milites ergo cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius (& fece-

runt quatuor partes: vnicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: ℣ Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit. ℭ Vt Scriptura impleretur, dicens: Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi: & in veſtem meam miſerunt ſortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cùm vidiſſet ergo Ieſus matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ: † Mulier, ecce filius tuus. ℭ Deinde dicit diſcipulo: † Ecce mater tua. ℭ Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſuam. Poſtea ſciens Ieſus, quia omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur Scriptura, dixit: † Sitio. ℭ Vas ergo erat poſitum aceto plenum. Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cùm ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit: † Conſummatum eſt. ℭ Et inclinato capite tradidit ſpiritum. Hic pauſatur aliquantulum, & genuflectitur. Iudæi ergo (quoniam Paraſceue erat,) vt non remanerent in cruce corpora ſabbato (erat enim magnus dies ille ſabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, ſed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis, &

aqua.

aqua. Et qui vidit, teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonium eius. Et ille ſcit, quia vera dicit: vt & vos credatis. Facta ſunt enim hæc, vt Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

POſt hæc autem rogauit Pilatum Ioſeph ab Arimathæa, (eo quòd eſſet diſcipulus Ieſu, occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Ieſu. Et permiſit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Ieſu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes, quaſi libras centum. Acceperunt ergo corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Erat autem in loco, vbi crucifixus eſt, hortus: & in horto monumentum nouum, in quo nondum quiſquam poſitus erat: Ibi ergo propter paraſceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, poſuerunt Ieſum.

DE OFFICIO SEPVLTVRAE extraneorum, ſiue ad noſtrum cœmeterium deferantur, ſiue non.

CVm deferendus fuerit aliquis extraneus ad ſepeliendum, & Fratres ſecundum loci conſuetudinem, ad exeundum ad eius exequias fuerint inuitati, debet Sacriſta hora idonea ſignum ad conuocandos Fratres in chorum cum cam-

pana capituli pulsare, & crucem in choro in loco idoneo collocare. Congregatis autem fratribus, Prælato signum faciente, ille, cui iniunctum fuerit à Cantore, crucem assumens præcedat, & fratres ipsum processionaliter sequantur, iunioribus præcedentibus. Cum autem ad ecclesiam, vbi reliqui inuitati congregantur, venerint, & omnes aliquantulum genibus flexis orauerint, accedant ad aliquam capellam, vel partem ipsius ecclesiæ. Similiter obseruandum est in omnibus processionibus, quando adunantur fratres in aliqua ecclesia: & si locus sit aptus, ibidem in silentio simul sedeant, donec hora exeundi ad funus aduenerit. Facto vero signo ad exeundum, in ordine suo exeant, & ad funus procedant sicut venerunt. Cum autem appropinquauerint domui defuncti, Cantor voce sonora legendo incipiat Psalmum. **Miserere mei Deus.** & omnes, qui tunc fuerint in latere dextro, processionis, non obstante, quod aliter in choro ordinetur, inceptum versum prosequantur: deinde illi, qui sunt in latere sinistro, alium versum similiter subsequantur. Et sic alternatim omnes Psalmos in hac processione dicendos dicant, donec ad Ecclesiam peruenerint. Finito Psalmo **Miserere.** omnes communiter Antiphonam. **Exultabunt Domino.** subiungant: postea Subcantor incipiat Psalm. **Te decet.** & fratres qui sunt in latere sinistro, inceptum V: prosequantur: alijs qui sunt in latere dextro alium V. subiungentibus. Psalmi in hac processione dicendi sunt illi, qui in Laudibus

officij

officij mortuorum, cum ſuis Antiphonis, aſſignati ſunt vſque ad Pſalm. De profundis, incluſiuè. Et ſi oportuerit alios Pſalm. ſuperaddi, ſuperaddantur Pſal. nocturnorum ipſius officij mortuorum, cum ſuis Antiphonis, ſicut fuerit expediens. Hos Pſal alternatim incipere debent Cantor. & Subcantor, qui ſemper ſimul eſſe debent. Cum autem pertranſierint domum defuncti, ſi funus ad noſtram Eccleſiam deferatur, Hebdomadarius, & Sacriſta cum his, qui per Hebdomadam ſcripti ſunt ad acolytatum, de proceſſione recedentes ad Eccleſiam accedant. Et Sacriſta, ſi conſuetudo loci fuerit, campanam pulſet, donec defuncti corpus ſit in Eccleſia collocatum: Hebdomadarius vero aſſumpto ſuperpelliceo, ſtola & cappa ſerica, ad hoc officium præparata, & libello proceſſionali, præcedentibus Acolytis in ſuperpelliceis, quorum vnus aquam benedictam, & alter thuribulum deferat, veniat ad oſtium eccleſiæ, per quod proceſſio ingredi debet. Et aſſiſtens ad dexteram ſuam, Acolyto ſitulam aquæ benedictæ tenente: ipſe Hebdomadarius in latere oſtij aſſiſtens, ingredientes aſpergat, altero Acolytorum in alio latere ſtante, & ingredientes thuriſicante. Fratres autem noſtri ingredientes eccleſiam noſtram, ſi alij religioſi non debent intereſſe officio exequiarum, ordinent ſe hinc, & inde, à dextris, & à ſiniſtris feretri. Si autem alij religioſi intereſſe debent: ordinent ſe omnes fratres noſtri ex vno latere, & ibi ſtent, donec defunctus ad ſepulturam portandus

Dominus vobiſcum. R. Et cum ſpiritu tuo.

OFFICIVM SEPVLTVRAE

NOn intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quoniam nullus apud te iuſtificabitur homo, niſi per te omnium peccatorum ei tribuatur remiſſio: non ergo eum, (vel eam,) tua iudicialis ſententia premat, quem, (vel quam) tibi vera ſupplicatio fidei Chriſtianæ commendat; ſed gratia tua illi ſuccurrente mereatur euadere iudicium vltionis: qui, (vel quæ) dum viueret, inſignitus (vel inſignita) eſt ſignaculo ſanctæ Trinitatis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. Amen.

autem ℟. Kyrie eleiſon. cantandum ſicut ſupra in officio ſepulturæ pag. 306. Kyrie eleiſon. Cum autem Hebdomadarius ad ℣. Pro quorum, &c. Finito Kyrie eleiſon, dicat Hebdomadarius, &c. ut ſupra.

Oremus. Oratio.

DEus, cui omnia viuunt, & cui non pereunt moriendo corpora noſtra, ſed mutantur in melius: ſupplices deprecamur, vt quidquid anima famuli tui (vel famulæ tuæ) vitiorum, tuæque voluntati contrarium, fallente Diabolo, & propria iniquitate atque fragilitate contraxit: tu pius & miſericors abluas indulgendo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Finita oratione, ſequitur ℟. Inchoandum, & cantandum, vt ſupra de alio dictum eſt: ℟. Antequam naſcerer. vt ſup. pag. 307. Finita reſumptione poſt ℟. cantetur Kyrie eleiſon. vt ſupra. Quo dicto, dicat Hebdomadarius eo modo, quo ſupra.

Oremus. Oratio.

FAc, quæſumus Domine, hanc cum ſeruo tuo defuncto, (vel ancilla tua defuncta) miſericordiam: vt factorum ſuorum in pœnis non recipiat vicem, qui, (vel quæ) tuam in votis tenuit voluntatem, & quia hic illum, (vel illam) vera fides iunxit fidelium turmis: illic eum, (vel eam) miſeratio tua ſociet angelicis

Digitized by Google

licis choris: Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Cum autem ad fossam, licat Sacerdos alta voce. Pater noster, Quo audito dicat illud omnes in silentio: & subinde subiungat Sacerdos. Et ne nos. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Si fuerit Episcopus vel Sacerdos. Oratio.

DEus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulum tuum Sacerdotali, (vel Pontificali,) si fuerit Episcopus, fecisti dignitate vigere: præsta quæsumus, vt eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si fuerit vir. Oratio.

INclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, vt animam famuli tui, quam de hoc sæculo migrare iussisti, in pacis, ac lucis regione constituas, et Sanctorum tuorum iubeas esse consortem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si fuerit fœmina. Oratio.

QVæsumus Domine pro tua pietate, miserere animæ famulæ tuæ, et à contagijs mortalitatis exutam, in æternæ salvationis partem restitue. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Finita hac, vel præcedenti oratione, Cantoribus inchoantibus ℟. Libera me Domine. vt sup. pag. 190. qui crucem defert, vadat ad locum sepulturæ, et Conuentus

Digitized by Google

ventus ſequatur. Et cum ibi fuerint, collocent ſe fratres non longè à ſepultura: et ibi ℟. prædictum, cum duobus ſequentibus Verſibus à toto choro cantetur.

Vel ſi fuerit aliqua perſona ſpecialis, cui Ordo noſter valde teneatur, cantentur omnes ℣. et ℟. prædicta à Cantoribus, ſicut ſupra notatum eſt in vltima ſtatione proceſſionis, in commemoratione omnium fidelium Defunctorum. Et ſi fuerit aliqua perſona de tertio ordine beati Dominici Patris noſtri, poterit addi Antiphona. Clementiſſime. vt ſup. pag. 320. Dum Reſpontorium. Libera me Domine. dicitur, Hebdomadarius aſpergat corpus, et tumulum aqua benedicta, poſtea thurificet vtrumque. Finito prædicto ℟. Libera me Domine, vel Antiph. Clementiſſime. ſi dicenda fuerit, Cantores dicant.

Et Hebdomadarius dicat. P ater noſter. ℣. A porta inferi. ℟. Erue. ℣. Dominus vobiſcum.

O remus. Oratio.

SAtisfaciat tibi Domine Deus noſter, pro anima famuli tui fratris noſtri, (vel famulæ tuæ ſororis noſ-

Digitized by Google

noſtræ,) ſanctæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, et beati Dominici confeſſoris tui Patris noſtri, omniumque ſanctorum tuorum oratio, et præſentis familiæ tuæ humilis, et deuota ſupplicatio: vt peccatorum omnium veniam, quam precamur obtineat: nec eum, (vel eam) patiaris cruciari gehennalibus flammis, quem (vel quam) Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti pretioſo ſanguine redemiſti. Per Chriſtum.

Oratio.

DEus, cuius miſeratione animæ fidelium requieſcunt, famulis, et famulabus tuis omnibus hìc, et vbique in Chriſto quieſcentibus, da propitius veniam peccatorum, vt à cunctis reatibus abſoluti, tecum ſine fine lætentur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde ſubiungat Hebdomadarius. **Requieſcant in pace.** ℟. **Amen.** Quo dicto, cantet incipiat Pſal. De profundis, vel Miſerere. Si fuerit multum remoti. Et ſic procedat cruce, Comitatus ad ſacriſtiam accedat, Hebdomadario cum Acolytis in vltimo omnium procedentibus.

ALIVD OFFICIVM PRO SEPVLTVRA

Extra eorum.

POſtquam corpus defuncti fuerit in Eccleſia collocatum, Hebdomadarius dicat ſequentem Orationem ubique **Oremus. Non intres in iudicium,** vt pag. 374. hac Oratione finita Cantores ad caput defuncti accedentes incipiunt ℟. **Subuenite Sancti Dei.**

Dei vt ſup. pag. 304. et Conuentus ipſum proſequatur cum cum Verſu à cuibus quibus Cantor innuerit; finita reſumptione poſt Verſum Cantores incipiant K yrie eleiſon, et Conuentus proſequatur. Dum cantatur prædictum Reſponſorium, Hebdomadarius aſpergat corpus aqua benedicta, et thurificet illud. Finito K yrie eleiſon dicat Sacerdos ſequentem Orationem. O remus. D eus, cui omnia viuunt, vt ſupra. pag. 375. Finita Oratione inchoatur à Cantoribus: R. Libera me Domine, et à toto Choro cantetur cum duobus Verſibus ſequentibus, vt habetur ſup. p. 190. addendo pro vltimo Verſu R equiem æternam, completo R. Cantores dicant K yrie eleiſon, et Conuentus proſequatur: deinde Hebdomadarius dicat altè: P ater noſter, et dum in ſilentio ab omnibus dicitur, aſpergat corpus aqua benedicta, et thurificet illud, et poſtea altè pronunciet. Et ne nos. ℣. A porta inferi. ℣. Dominus vobiſcum. O remus.

Si fuerit Epiſcopus, vel Sacerdos, dicat: D eus, qui inter Apoſtolicos, vt ſupra. pag. 309.

Pro viro defuncto Oratio. I nclina, vt ſup. p. 309.

Pro femina defuncta Oratio. F ac quæſumus Dñe. vt ſupra. pag. 308.

Finita Oratione Cantor incipiat Antiphonam.



li, in tu o ad uen tu ſu ſci pi ant

te Mar ty res, & per ducant te in

Ci ui ta tem ſan ctam Ie ru ſa lem.

℣. Chorus An ge lo rum te ſu ſci-



pi at, & cum La za ro quondam pau-



pe re æ ter nam ha be as re qui em.

Deinde Hebdomadarius incipiens Antiph.

E go ſum.

Canto.

Digitized by Google

Cantoribus proſequentibus Canticum Benedictus.



Qui Crucem defert vadat ad locum ſepulturæ, & Conuentus ſequatur, & cum ibi fuerint collocent ſe Fratres non longè à ſepultura, & proſequantur Canticum, & dum cantatur, Hebdomadarius aſpergat corpus, & tumulum aqua benedicta, poſtea thurificet vtrumque. Finito Cantico dicatur Antiphona.



Digitized by Google



Qua finita dicat Hebdomadarius. ℣. A porta inferi. Dominus vobiſcum. O remus. Satisfaciat tibi Domine. et Oratio. Deus cuius miſeratione. vt ſupra. pag. 378. Deinde dicat. Requieſcant in pace.

Quo dicto Cantor incipiat. De profundis. et ſic precedente Cruce Conuentus ad Sacriſtiam accedat. Hebdomadario cum Acolytis vltimo loco ſequente.

In aliquibus conuentibus, in quibus fratres non exeunt ad funus extra conuentum, alia forma ſeruatur, quam prædicta. Nam poſtquam corpus fuerit in eccleſia collocatum, Hebdomadarius dicit orationem. Non intres in iudicium. vt ſup. pag. 374. Et Cantores incipiunt ℟. Libera me Domine. et conuentus ipſum ℟. cum duobus primis Verſ. pag. 190. et reſumptionibus communiter proſequitur. Quo finito Cantores dicunt Kyrie eleiſon. et conuentus proſequitur cum cantu, qui eſt notatus in officio ſepulturæ fratrum. pag. 305. poſt ℟. Subuenite. Deinde Hebdomad. dicit. Pater noſter. Et dum in ſilentio ab omnibus dicitur, aſpergit corpus aqua benedicta, et thuriſi-

Digitized by Google

cat illud. Poſtea altè pronunciat. Et ne nos. ℟. A porta inferi. ℣. Dominus vobiſcum. et Oremus: et Orationem. Deus cui omnia viuunt. vt ſup. p. 375. Et reſponſo à conuentu poſt orationem. Amen. Hebdomadarius incipit Antiphonam. Omnis ſpiritus. et Cantor Pſal. Laudate Dominum de cælis. et ſic proceditur ad locum ſepulturæ, modo quo ſupra.

Antiphona.



Finita poſt Pſalm. Antiphona, Cantores dicunt Kyrie eleiſon. et Hebdomadarius dicit Pater noſter. et aſpergit, et thurificat corpus, et foſſam, vt ſupra notatum eſt, et dicit Verſum A porta inferi. et orationes. Satisfaciat. et Deus, cuius miſeratione, etc. vt ſupra pag. 378. poſtea reuertuntur ad ſacriſtiam modo quo ſupra.

In aliquibus etiam conuentibus alia forma ſeruatur, iuxtà

iuxtà consuetudinem terrarum, non improbanda, sed seruanda, maxime, vbi cum clericis, et religiosis communiter celebratur.

DE EXEQVIIS FACIENDIS SVPER Sepultura puerorum.

CVm puer aliquis fuerit sepeliendus, & fratres ad hoc fuerint requisiti, & exire debuerint ad funus, seruetur forma prædicta, quæ notata est supra de sepultura extraneorum: Hoc excepto, quod loco Psalmorum illorum, qui ibi notati sunt in processione dicendi, dicantur quindecim Psalmi Graduales & quilibet eorum terminetur per Gloria Patri. Cum autem corpusculum in ecclesia collocatum fuerit, Hebdomadarius, & Acolyti, modo prædicto in omnibus seruato, collocent se ad caput defuncti, & Hebdomadarius voce mediocri, sine Dominus vobiscum, & sine Oremus. dicat sequentem orationem. Oratio.

DEus omnipotens, redemptor mundi Domine Iesu Christe, apud quem mortuorum spiritus viuunt, & in quo electorum animæ, depositio carnis onere, plena felicitate lætantur: gratias agimus ineffabili pietati, ac benignitati tuæ, qua animam famuli tui, (vel famulæ tuæ,) imagine tua insignitam, pretioso sanguine tuo misericorditer redemptam, de miserijs tenebrarum, & laqueis huius sæculi liberare dignatus es, vt æternæ illius tuæ lucis solatio frueretur: & concessa sibi venia originalis peccati, per lauacrum rege-

regenerationis Spiritus ſancti, & renouationis, optata quietis conſequeretur gaudia omnibus ſanctis, & electis tuis æternaliter repromiſſa. Qui viuis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Quo dicto vnus Frater, cui Cantor innuerit, incipiat Antiphonam. Sit nomen Domini. & Cantor Pſalm. Laudate pueri, qui terminetur per Gloria Patri.

Antiphona.



Cantata poſt Pſal. Antiph. Cantores cantent Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. ſicut notatum eſt ſupra in officio, de ſepultura fratrum defunctorum. pag. 306. Dum autem cantatur Pſalm. prædictus, Hebdomadarius corpus aſpergat aqua benedicta, & thurificet illud; quod etiam, dum ſequens Pſal. cantatur, faciendum eſt. Dicto autem Kyrie eleiſon, dicat Hebdomadarius alta voce, Pater noſter. Quo

Digitized by Google

dicto in silentio, subiungat. Et ne nos. ℟. Sinite paruulos ad me venire. ℟. Talium est enim regnum cælorum. ℣. In memoria eterna erit iustus. ℟. Ab auditione mala non timebit. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens, et misericors Deus, qui omnibus paruulis renatis baptismate, dum migrant à sæculo, sine vllis eorum meritis, vitam illicò largiris æternam, sicut animæ huius paruuli, (vel paruulæ) credimus te feciſſe: fac nos, quæsumus Domine, per interceſſionem beatæ Mariæ Virginis, et beati Dominici Patris nostri, et omnium sanctorum tuorum hic purificatis tibi mentibus famulari, et in paradiso beatis paruulis perenniter sociari. Per. Amen.

Quo dicto, vnus Frater, cui Cantor innuerit, incipiat Antiphonam. **In conspectu.** et Cantor Psalm. **Confitebor.** qui terminetur per **Gloria Patri.**

Antiphona.



Psalm.

Digitized by Google



Pſalm. Confi te bor. E v o v a e.

Cantata poſt Pſalm. Ant. Cantores vt ſupra dicitur Kyrie eleiſon. & Sacerdos. Pater noſter. ℣. In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus. ℟. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Oratio.

DEus, qui miro ordine Angelorum miniſteria hominumque diſpenſas: concede propitius, vt à quibus tibi miniſtrantibus in cælo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra vita noſtra muniatur. Per Chriſtum.

Hac Oratione finita, Hebdomadarius incipiat Antiphonam. Omnis ſpiritus, & Cantor Pſal. Laudate terminando per Requiem.

Antiphona.



O mnis ſpi ri tus lau det Dominum.

Pſal. Lau da te Dominum de cæ lis.



E v o v a e.

Dum dicitur hic Pſal. vadant ad ſepulturam: finito autem Pſal **Laudate** cantetur Antiph. quæ poſtquam cantata fuerit, dicatur à Cantoribus **Kyrie eleiſon**. vt ſup. notatum eſt. Et Hebdomadarius dicat **Pater noſter**. ℣. **A porta inferi**. ℣. **Dominus vobiſcum**: ℟. **Et cum ſpiritu tuo**.

Oremus. Oratio.

DEus, cuius miſeratione animæ fidelium requieſcunt: famulis & famulabus tuis omnibus, hic & vbique in Chriſto quieſcentibus, da propitius veniam peccatorum: vt à cunctis reatibus abſoluti, tecum ſine fine lætentur: Per eundem Chriſtum Dominum noſtrũ. ℟. **Amen.** ℣. **Requieſcant in pace.** ℟. **Amen.**

Et dicto **Amen.** Cantor incipiat Pſal. **De profundis.** & ſic Conuentus præcedente cruce, & ſubſequentibus poſt omnes Hebdomadarie, & Acolytis, ad Sacriſtiam reuertatur. Si autem Prælato, vel Cantori viſum fuerit maxime vbi non fuerit aſtantium multitudo perſonarum, ad tales exequias congregatarum, poterit intermitti Pſal: **Confitebor.** cum ſua Antiphona ℣. & Oratione: dicta tantum Oratione. **Omnipotens & miſericors Deus, qui omnibus paruulis renatis, &c.** incipiatur Antiphona. **Omnis ſpiritus laudet Dominum.**

IN-

Digitized by Google

INCIPIVNT VESPERAE

Defunctorum. Antiphona.



ni mam tu am Do minus. Pſal. L e ua ui



o culos. E v o v a e. Aña. Si i niqui ta-



tes obſerua ueris Do mine, Domine quis



fu ſtinebit? Pſal. D e profundis. E v o v a e.

Añs. O pe ra manuum tu a rum Domine ne

de ſpi ci as. Pſal. C onfi tebor. E v o v a e.

Ad Magnificat, Antiphona.



A u di ui vo cem de cæ lo dicentem: be a-

ti



Finita Antiphona post Magnificat, dicatur Pater noster. Quo finito, non pronuntietur. Et ne nos inducas. Sed Cantor incipiat Psalm. 145. Lauda anima mea. legendo voce mediocri: & similiter in Laudibus obseruetur ad Psalm. 129. De profundis.

Orationes dicendæ quærantur in fine Officij Defunctorum.

Notandum est, quod iuxta nostram consuetudinem, & ordinarium, in vigilijs Defunctorum non cantatur aliquod Inuitator. et ita obseruandum est regulariter: sed quia sæpe sæpius oportet nos cantare similes vigilias extra domum, siue etiam intra, in obsequijs secularium, maxime principum, et nobilium, quibus condecens est aliquam maiorem solemnitatem præstare, rationabile visum est hic apponere vnum Inuitator. iuxta antiquissimum morem ipsorum clericorum, à quibus est acceptum, et per omnes fere ecclesias etiam Fratrum, et Monachorum, iam diu visitatum.

Digitized by Google

Inuitatorium.




repel let Dominus plebem ſuam, qui a in
ma nu e ius ſunt omnes fines ter ræ, et
al ti tudines montium ip ſe conſpicit. Ve-
ni te. Quo niam ip ſi us eſt ma re, et ip-
ſe fe cit illud, et a ridam funda ue runt
manus e ius, ve ni te a do re mus et
pro ci damus an te De um, plo re mus
coram


coram Do mi no qui fe cit nos, qui a
ip ſe eſt Dominus De us no ſter, nos
au tem po pu lus e ius, & oues paſ-
cu æ e ius. Regem. Ho di e ſi vocem
e ius au di e ri tis, no li te ob du ra re
corda ve ſtra: ſi cut in ex a cerba ti o ne
ſecundum di em ten ta ti o nis in de ſer-
to vbi



to v bi ten ta uerunt me patres ve ſtri,

pro ba uerunt & vi derunt o pe ra me a.

Ve ni te: Quadraginta an nis pro ximus

fu i ge nera ti o ni hu ic, & di xi sem-



per hi errant cor de: ip ſi ve ro non

cognouerunt vi as me as, quibus iu ra-



ui in i ra me a, ſi in tro i bunt

in re-

Digitized by Google



In primo Nocturno, Antiphona.



Añi.


Aña. Conuer te re Do mine, & e ri-
pe a nimam me am: quo ni am non
eſt in mor te, qui me mor ſit tu i.
Pſal. D omine ne in furo re. E v o v a e.


Aña. Ne quan do ra pi at vt le o a ni-
mam me am, dum non eſt qui re-
dimat: ne que qui ſal uum fa ci at.

Pſal.



Pſal. D omi ne De us me us in te ſpera ui



E v o v a e. ℣. A por ta in fe ri.

℟. Erue Domine animas eorum.

Pater noſter, totum ſecretò. & abſque Iube domne benedicere, incipiatur prima Lectio. ſicut & ſequentes Lectiones.

Lectio j.

PArce mihi Domine: nihil enim ſunt dies mei. Quid eſt homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Viſitas eum diluculo, & ſubito probas illum. Vſquequo non parcis mihi, nec dimittis me, vt glutiam ſaliuam meam? Peccaui: quid faciam tibi, ò cuſtos hominum? Quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi grauis? Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in puluere dormiam, & ſi mane me quæſieris, non ſubſiſtam.

℟. Credo quod. pag. 169. Lectio ij. *Iob* 10.

TAedet animam meam vitæ meæ: dimittam aduerſum me eloquium meum. Loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo: Noli me condemnare. Indica mihi, cur me ita iudices? Numquid bonum tibi videtur, ſi calumnieris me, & opprimas me

opus

opus manuum tuarum, & consilium impiorum adiuues? Numquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis? Numquid sicut dies hominis dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora, vt quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris? Et scias quia nihil impium fecerim, cum sit nemo qui de manu tua possit eruere.

℟. Qui Lazarum resuscitasti. pag. 173.

Lectio iij. *Iob* 10.

